OBSERVATIONES
IN TEXTUM ET VERSIONES,
MAXIME GRAECAS,
OBADIAE ET HABACUCI.

SPECIMEN,

QUOD

PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

SUMME VENERABILIUM

THEOLOGORUM GOETTINGENSIUM

EXAMINI SUBIECIT

FRIDERICUS PLUM,

PHIL. D. CRUCISORAE IN SIELLANDIA PASTOR P.

HAUNIAE MDCCXCII.

LITERIS THIELIANIS.

VIRO

PERILLUSTRI, GENEROSISSIMO

CHRISTIANO DE BRANDT,

EQUITI ORDINIS DANNEBROGICI AURATO, REGI A CONSILIIS INTIMIS, PRAEFECTO CUBICULI REGIS CLAVIGERO, CANCELLARIAE DANICAE PRAESIDI, COLLEGII DE CURSU EVANGELII PROMOVENDO MEMBRO PRIMARIO ETC.

VIRO

AMPLISSIMO, SUMME VENERABILI

NICOLAO EDINGER BALLE,

THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, EPISCOPO DIOECESEOS SIELLANDIAE ETC.

HANC

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

UT

GRATI ANIMI ET PIETATIS

MONUMENTUM QVODDAM EXTA

INSCRIPSIT

AUTOR.

OBADIAS.

V. 1. Altera inſcriptionum Obadiæ: כה אמר אדני יהוה לאדום ex c. 49 Ieremiæ, in quo Idumæos invehitur, deſumta eſſe videtur. Ille v. 7. verba habet fere eadem: לאדום כה אמר יהוה, quæ huic orationis filo optime conveniunt; at apud noſtrum inſcriptio a vocibus ſequentibus: שמועה שמענו מאת יהוה omnino aliena eſt. De Obadia imitatore Ieremiæ pluribus infra dicendum.

ציר Notio *legati* ebræo codici uſitatior et hujus orationis ſeriei aptior eſt, quam ut περιοχη, quæ mira eſt verſio Alexandrini, dubium movere poſſit. Cappellus LXX verum quidem ſenſum cepiſſe, at voce περιοχη, quæ præter *munimentum* etiam *argumentum*, *ſummam alicujus ſcripti* ſignificat, ideam reſtringere et curatius definire voluiſſe exiſtimat. Tum vocabulum vix adhibere potuiſſent ineptius. Veriſimilius eſt, eos lectionem falſam ציר aut מצור temere vertendo expreſſiſſe, de ſenſu et ſerie nil laborantes. Rectius Symmachus poſuit αγγελιαν, et interpres Ieremiæ Alexandrinus in loco parallelo 49, 14. αγγελους.

עלוה Idumæam propheta in feminino, mox vero v. 2. in masculino alloquitur, quæ generis variatio poetis Ebræorum solemnis est.

V. 2. Hieronymus cum seqventi ita connectit: *Cum minimus sis inter omnes in circuitu nationes, et ad comparationem gentium cæterarum parvus in numero, ultra vires erigeris superbia.* Hoc vero eam maxime ob causam notatu dignum videtur, quod inde patet, Patrem jam suo tempore intellexisse, quæ sit vis formularum: *Deus effecit, Deus autor est*, easque retulisse ad idiotismum linguæ et ævi antiquioris, quo homines, nexum rerum longamque eventuum intermediorum seriem iterata nondum experientia edocti, omnia causæ primæ et remotiori, perinde ac si proxima esset, tribuerint *). Verum ipsa interpretatio Hieronymiana displicet, quod Idumæa nec parva fuit, nec contemnenda, id quod ostendunt tractus terræ amplissimi, tot bella incolarum cum Israelitis feliciter gesta, et hoc denique oraculum Obadiæ, qvi gentem, si ignava et infirma fuisset, vix tanti fecisset, ut ea verborum vehementia illum increparet. Malo comminationem Jehovæ hoc in versu contineri, quocirca נתתיך per אתנך expono, cum tempus Ebræorum, ut Aoristus Græcorum, in præsenti vel futuro, prout res substratæ ferant, efferendum sit.

בזוי *infamia publica notatum* signat Es. 53, 3. Ps. 22, 7.

V. 3.

*) Eichhornii Einleit. in das A. T. P. 2. p. 405.

V. 3. זדון *tumor*, qvalis eſt ollæ bullientis, *ſuperbia*. Ebraismum זדון לבך, quo cordi, quæ mentis et animi ſunt, attribuuntur, Lxx reddunt ſimili phraſi: ὑπερηφανια της καρδιας σȣ.

השיאך vertit Alexandrinus: ἐπηρε σε, Vulgatus: *extulit te*. Nimirum legerunt השיאך cum quinque Codd. Deroſſianis, quæ lectio voci זדון et nexui orationis melius convenit.

שכני *το* י cum Schultenſio non pro mere paragogico, ſed pro affixo primæ perſonæ habeo. Noſtratibus ille pleonasmus in uſu eſt, quem efferunt: *Du, ſom boer mig i Klippens Rifter*, et Latinis ut illud Horatianum: *Qvid mihi Celſus agit?* Arabes non tantum affixum primæ, ſed et ſecundæ ita uſurpare, probavit exemplis Vir Cel. *) ex Corano et Hiſt. Tamerl. deſumtis. Verum dubitavi, an י ubique affixum eſſet. Certe in formula carminis Moſaici רצון שכני סנה paragogen prætulerim, quæ figura Ebræorum metro numeroque periodorum rotundando inſerviiſſe videtur.

חגוי vulgo vertunt *fiſſuras*, nec ſine autoritate veterum. Cum vero locutiones illæ: *in fiſſuris, foraminibus habitare*, et *ardua tenere, excelſo habitaculo ſuperbire* inter ſe pugnare viderentur, plerique recentiorum ſecuti ſunt Schultenſium, qvi vocem חגא deduxit ab ar. حجا, *confugere*, unde محتجا *refu-*

*) Animadv. philol. ad Gen. 49, 11.

refugium, *asylum* *). Verum Schnurrerus **) negavit, pro ܚܓܘܐ cum Eliph mobili, satis accurate dici posse ܚܓܘܐ cum qviescente, pro ܚܓܘܝ. Adoptavit ergo Hottingeri *tractum petrarum*, significatioe ducta ex ܚܓܘܐ *constitit in loco*, unde nomen ܚܓܘܝ Arabibus est ناجية *tractus*, *regio*. Tum חגוי סלע valeret *tractus horrentes rupibus*, *qui contra incursiones hostium facile defendi possunt.* At versionum antiquiorum haud ita paucæ Lexicographis significatione *fissurarum* præiverunt. Lxx in nostro loco et in paralello Jer. 49, 16. (Græc. Ed. rom. c. 29, 16.) reddiderunt: ὀπαι et τρυμαλιαι, et Vulgatus: *fissuræ*. Cant. 2, 14. Syrus et Vulgatus eandem notionem servarunt, a qua non multum abludit σκεπη Alexandrini, nec vocabulum amplius occurrit. *Fissuræ petrarum* et, qvæ seqvuntur, *excelsa loca* non male sibi congruunt, si de latebris cogitemus in altissimis rupibus excavatis, qvibus Idumæi loco munimentorum usi, situ pariter ac foramine tuti hostes despexerunt. In Idumæa sita erat urbs Sela vel Petra, quæ Arabiæ petrææ nomen dedit, et cui nomen recentius Ar Rakim, ob domus in rupibus excisas, inditum est ***). Immo vero in epinicio, quo David victoriam ab Idumæis reportatam canit, עיר מצור (*spelunca munita* coll.

*) Animadv ad Es. 19, 17.

**) In dissertatione, qva vaticinium Obadiæ illustravit. Tubing. 1787.

***) Büschingii Geographie.

coll. (غام) cum אדום componitur in parallelismo ſententiarum Pſ. 68, 11. Qua ſublimi figura vates ſacer totam Idumæorum terram, certe urbem Petram, antea captam 2 Reg. 14, 7., deſcribit. Cavernarum Idumæorum etiam alibi ſcriptores ſacri mentionem faciunt, v. c. Hor-Haggidgad et Gudgodæ Num. 33, 32. Deut. 10, 7. Huc pertinet, qvod Hieronymus ad locum noſtrum notat: *Omnis auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli usque Petram et Hailam in ſpecubus habitatiunculas habet, et propter nimios calores ſolis, quia meridiana provincia eſt, ſubterraneis tuguriis utitur. Ea, ut tutiores eſſent latebræ, in altiſſimis petris excavarunt.* בחגוי סלע reſpondet igitur מרום שבתו. ו ultimæ vocis, ni ſenſus obſcurus ſit, in verſione efferendum eſt ut affixum ſecundæ perſonæ. Variatio ejusmodi perſonarum prodit artem qvandam nimiam et infelicem, ſeculum ebraicæ poeſeos ferreum redolentem. Hoc etiam Editio Complutenſis evitavit, vertendo: κατοικιαν σȣ. Lxx, qvi habent ὑψων, legerunt מרום, at nullo codice comprobante.

Ebraismo אמר בלבו, qui interogationem poſtulat, reſoluto, quod ſeqvitur ſine interrogatione vertendum: *qui putas, neminem te detrahere poſſe in terram.* Codex Alexandrinus in בלבו affixum tertiæ incommodum omiſit.

V. 4. אם תגביה Lxx: ἐαν μετεωρισθης. Nullam igitur ellipſin ſtatuerunt, nec ad ſequens קנך, ut ſolent interpretes, vocem retulerunt, verum Hiphil

 ſigni-

significationem dederunt intransitivam: *si sublatus fueris in sublime.*

שׁוּם Poeta duplici licentia utitur, et Infinitivo loco Futuri ponendo, et Præformativo ה per Aphæresin abjiciendo, cum alias dicendum esset השׁוּם, nisi forsan scripserit תשׁוּם, ϑης Alexandrini.

Commata 2 — 4 occurrunt in vaticinio Ieremiæ contra Idumæam 49, 14 - 16. Ille verba שׁמוּעה — — למלחמה medio vaticinio inseruit, verum Obadias ab his oraculum incipit, nec illa visionis magnificentia conveniret nisi initio. Inde quoque concludit Eichhornius *) illum hunc scribendo secutum fuisse. Verum hinc modo, ubi plurimum, efficitur, seriem orationis apud nostrum melius contextam esse. Poetæ, cum formulas et ideas aliunde petant, novo interdum lumine et concinniori ordine efficiunt ut suæ videantur, id quod effectu eo facilius, quo minor his labor inveniendi fuerit. Nec ecstasi poetico et confuso dicendi generi nil omnino tribuendum.

Jeremias omittit imagines, quibus pictura, si omnibus numeris absoluta sit, vix carere poterit; ex altera parte adjicit colores, qvibus hic non locus erat. Versus 3. Obadiæ, in quo superba Idumæorum securitas describitur: *Superbia extulit te, petrarum utpote fissuras tenentem, et in alto tuo habitaculo putantem, neminem te detrahere posse in terram* omnes numeros habet. At Jeremias novam infert ideam: *Tiplezeth*

*) Einl. in das A. T.

plezeth tuum decepit te *), qua contexta oratio turbatur. Idolum illud Idumæorum nil facit ad ſuperbiam ex altis petrarum montiumque habitaculis conceptam, quæ hic loci deſcribenda erat. Verum omiſit verba בלבו מי וורודנו ארצ, quibus ſequentia משם אורודך reſpondere debent. Caret etiam eleganti hyperbola: ואם בין כוכבים שום קנך. Non tamen inde ſequitur, Jeremiam imitatorem eſſe. Qui impetu vere poetico ad ſcribendum fertur, non æque ac imitator frigidus ad res ſingulas, rerumque nexum et verborum concinnitatem intentus eſſe poteſt.

Nec deſunt in Jeremia veſtigia cultioris ingenii, majorisque verborum curæ, quam in carmine Obadiæ inveneris. Ille V. 16. ab horrida iſta licentia abſtinuit, qua hic V. 3. frequentes ſaltus ab una ad alteram perſonam auſus eſt. In verbis Obadiæ V. 2. הנה קטן נתתיך בגוים בזוי אתה מאד quam frigidum illud מאד! Curatius autem Jeremias: בזוי באדם, qui membrorum parallelismus exactiſſimus prodit poetam in elegantioribus Ebræorum literis verſatum. Obadias ſententias alienas, memoriæ parum fideli mandatas, recitat, vel ſaltim, ut perſonam inventoris tueatur, formulas et vocabula immutat. Jeremias

 utitur

*) Veram Jeremiæ lectionem השיא eſſe, ſtatuo cum Koehlero (Repert. für bibl. u. morgenl. Litteratur. P. 15. p. 256.). השיא אתך reſpondet melius τῳ תפלצתך qvam ſi ſcripſiſſet השיא אתך vel השיאך.

utitur Singulari: שמועה שמעתי, at noſter amat Pluralem: שמועה שמענו. Ille habet השיאֲ אתך; hic vero השיאך ex alio verbo נשא; nam ex illo השיא fluxit haud dubie lectio varians, qvæ eſt apud Obadiam.

Verum argumentorum, quibus Vir ille celeberrimus pugnat pro Obadia, hoc eſt maximum, quod Jeremias in vaticinio Idumæos increpante ſui omnino ſit diſſimilis, et quod viſiones poeticæ grandiores et ſublimiores ſint, quam ut Muſæ Jeremianæ leni, molli, triſtique attribuendæ eſſent. Raro aſſurgit Jeremias, id quod haud negandum eſt. Verum hic alloquitur Idumæos, fratres Iſraelitarum germanos et hoſtes infenſiſſimos. Ipſe Ebræus, et civium amans, quod lenem elegorum modulum non ſervaverit, quis mirabitur? Qui frequenter laceſſit, homini vel mitiſſimo ſtomachum movet, et animus ſuæ calamitatis patiens tandem vincitur injuria civium. In cæteris concionibus Jeremiæ, contra gentes exteras habitis, oratio quidem ſevera eſt, at moderatior, v. c. Cap. 48.

Contendit quidem Eichhornius, Jeremiam nonnunquam ex aliorum ſcriptis res ſuas petiiſſe, ad quod confirmandum citat caput ſupra dictum 48, in quo in Moabitas invehitur. Certum quidem eſt, ſi ordinem paululum immutatum exceperis, res easdem, verba eadem occurrere Eſ. 15. et 16. Verum enimvero genus dicendi eſt lene et moderatum, elegorum autoris proprium. Quo fit, ut facilius credam, duo iſta capita ab iis, qui carmina Eſaiæ in ordinem redegerunt,

gerunt, perperam recepta esse. Mecum facit Koppe, Esaiæ Lowthianæ editor et emendator, qvi hæc capita Jeremiæ adjudicat.

V. 5. אם גנבים וגו׳ אם non interrogativum, sed conditionis index est. Ita Lxx: ἐι κλεπται ἐξηλθον προς σε, ἠ λησαι. *Si te fures, si nocturni grassatores invaderent, quantopere obstupesceres! Nonne furaturi essent, qvantum sibi sufficeret? Si te vindemiatores adgrederentur, nonne relinquerent racemos?* Lego נדמתה ex testimonio 8 Codd. Kennicottianorum. דמם notat *triste silentium, quo quis obmutescit.* Alexandrinus vertit: πȣ ἀν ἀπεϱϱιφης; legit igitur איכו pro איך, et loco נדמיתה legit נרמית, verbi רמה, Arabum رمى, quod Lxx nonnunquam verterunt: ῥιπτειν, βαλλειν.

הלוא יגנבו דים Interrogativum הלוא in versione retinendum, ut cætera, quæ stylum Obadiæ deformant; nam hisce notis character poeticus, nulla interpretatione obliterandus, agnoscitur. Sensus hic: *Non tamen est, quod fures illos tantopere timeres, non enim plus, quam quod sibi sufficeret, furarentur, reliqua vero, quæ auferre aut temporis ratio, aut vires ipsorum non paterentur, relinquerent.*

Locus hic est V. 9. Jeremiæ, quem tres jam a nobis recensi sequuntur. Obadias ordinem versuum immutat, ipsumque versum breviorem reddit; non est igitur ad servum imitatorum genus referendus.

V. 6. איך נחפשו וגו׳ Apodosis versus præcedentis: At quam pervestigabitur Esavus! Respondet

 versui

verſui 10. Jeremiæ. Senſus idem, formulæ diverſæ. Pro verbis חפש et בעה habet חשף et גלה, quibus in prima perſona poſitis Jehovam loquentem fingit. Pro מצפן utitur voce frequentiori מסתר. Nullum habet interrogativum, quod a tenero illo orationis genere alienum. Michaelis *), Jeremiam ſpectans, immutat נחפשו Obadiæ in נחשפו: *quam denudatus eſt Eſavus!* et ſequenti נבעו ſignificationem imponit huic orationis filo accommodatam: *patuerunt, manifeſtata ſunt*, ex verbo נבע, Arabum نبغ. Nimirum illi via vulgaris, qua per Niphal verbi בעה exponitur, eo maxime nomine diſplicet, quod dialecti notionem *quærendi* ignorant. Verum tamen iſta notio ſubeſt verbo arabico بغا, qua accepta verbum τῳ חפש textus, in parallelismo ſententiarum aptius reſpondet. Si alter exemplum præire, alter vero, formulis paſſim immutatis, ſequi cenſendus ſit, id quod de Jeremia et Obadia non temere exiſtimo, præpoſteræ erit criſeos, hunc ad illius exemplar emendare.

V. 7. עד הגבול שלחוך וגו verto: *deducent te foederati ad terminos usque; amici te evehent et opprimen; convictores inſidias tibi ſtruent, te haud quicquam ſuſpicante.* Primum membrum irriſionis plenum eſt: *Gentes exteræ, quibuscum foedus iniiſti, et quibus confiſus es, te, vel legatos tuos, ad auxilium petendum miſſos, comiter excipient, et proſequentur — verum modo ad terminum usque; dum eos tecum hoſti obviam*

*) Orient. und exeg. Bibl. P. 20.

obviam ituros eſſe credas, illinc mox regredientur, teque hoſtibus permittent. שלח etiam ſignificat *comiter deducere*, coll. Gen. 12, 20. Hinc ἐξαποϛελλειν Alexandrini hoc loco idem valet ac συμπϱοπεμπειν, quo verbo vox שלח in aliis locis exponitur. In verbis ſequentibus: השיאוך יכלו לך אנשי שלמך ironiam continuari monet orationis ſeries; eoque fit, ut facilius credam Codd. nonnullos Deroſſianos hic veram lectionem השיאוך exhibere. Lxx etiam cum Arabe deduxerunt vocem ex נשא, qvamvis aliam ei notionem ſubjecerint. Pro יכלו lego ויכלו ex teſtimonio Codd. complurium Kennicotti. Jam manifeſta eſt antitheſis: *evehent te, ut eo melius opprimant; tolleris in altum, quo lapſu graviore ruas.*

Ad vocem לחמך ſubintelligendum eſt אנשי, quod cum in præcedentibus bis occurrat, autor ebræus ob κακοφωνιαν repetitionis omittere maluit. Neſcio an in animo habuerit verba Davidica Pſ. 41, 10. גם איש שלומי אשר בטחתי בו אוכל לחמי הגדיל עלי עקב. Lxx omiſerunt לחמך, forſan quia nexum cum ſequentibus haud perſpexerunt, de voce ſubaudienda nil cogitantes. At membrum difficilius: וישימו מזור תחתיך ita tamen reddiderunt, ut ſenſum præbeat non contemnendam: ἐθηκαν ἐνεδϱα ὑποκατω σου. Cum iis faciunt veterum plerique, vertentes מזור per *inſidias*. Quam ſignificationem ſi recentiores alteri in lexicis receptæ prætuliſſent, monſtrum illud interpretationis: *ponent fœditatem* ſ. *ſtercus* ſ. *ulcus ſubter te* effugiſſent. Si fas ſit unquam

notio-

notionem ob ſolam veterum autoritatem aſſumere, hæc certe aſſumenda, quæ licet dialectis omnibus ignorata, probabilis eſt, et contextæ orationi egregie conſentanea. Variam quandam lectionem ſpectaſſe videntur, quæ tamen nulla collatione Codicum huc usque inventa eſt.

Ut VV. 5. 6. vaſtationem Idumæis veris grandibusque imaginibus minabantur, ita hic eos ridet ironia acerba et antithetis ingenioſis. Qvibus, cum Obadiæ proprii ſint, nec a Jeremia petiti, facile adducerer, ut illi nomen et honorem poetæ tribuerem, ſi finis verſus 7. reſponderet initio. At vim, qua animos legentium nuper affecit, mox frigida illa et contorta immutatione perſonæ ſecundæ in tertiam more ſuo debilitat. Vix crederes, verba אין תבונה בו dicta eſſe de iisdem Idumæis, quos nuper allocutus eſt. Verum genus hoc per Enallagen dicendi artis infelicis eſt ævi Ebræorum poetici ſequioris. Mirandum eſt potius, quod exclamationum alias amans non hoc loco interrogatione uſus fuerit, cum tamen Jeremias verſu ſuo 7. ſententiam interrogatoriam habeat; nam verba hujus: האין עוד חכמה noſtrum haud dubie in iſtam ſermonis inſolentiam deduxerunt. At V. 8. interrogationem habet, quæ ipſi Alexandrino otioſa adeo viſa eſt, ut eam prorſus omiſerit.

V. 10. מקטל מחמס אחיך וגו׳ Vocem מקטל huc referendam eſſe, ſvadet contexta ſeries. Lxx a verbis δια την σφαγην verſum incipiunt; ita quoque veterum alii. Ambiguitatem verborum interpres græcus

cus æque ambigue reddidit per ἀσέβειαν ἀδελφȣ σȣ. Ita quoque vertit חמס ארץ Hab. 2, 8. per ἀσέβειαν γῆς. Verum in M S Alexandrino locus Obadiæ emendatus eſt in τὴν εἰς τὸν ἀδελφὸν σȣ.

V. 11. ביום עמדך וגו. יום non ſimpliciter *tempus* vel *diem* notat, ſed apud poetas Ebræorum, quando de rebus adverſis ſermo fuerit, *diem infauſtum, funeſtum.* Ita David: כי יבא יומו Pſ. 37, 13. יום יהוה *dies poenis et calamitatibus inſignis*, formula eſt Ebræis frequens. Eandem habet Obadias V. 15. a qua non multum abludit illud Virgilianum:

Venit ſumma dies, et ineluctabile fatum.

Quo vis locutionis innoteſcat, in hoc et ſequenti verſu repetita, novisque epithetis exornata occurrit. Lxx vertunt: ἀφ' ἧς ἡμέρας, legerunt ergo: מיום, at codicum nulli conſentiunt. *Die illo infauſto, quo ſtetiſti ex adverſo, Chaldaicæ immanitatis ſocius.* Prophetæ forſan ob oculos verſabantur verba Davidis Pſ. 38, 12. perfidiam amicorum querentis: רעי מנגד נגעי יעמדו, quod מנגד mox in ſequentibus per מרחק exponitur.

Locus parallelus Jer. 49. hunc verſum non habet, verum Pſalmorum unus, quem inſcriptio verſionis Alexandrinæ Jeremiæ tribuit, iisdem fere verbis de Idumæis queritur. Illi Iſraelitas, quibus opem ferre debuiſſent, deſerere, et crudeles hoſtium animos accendere dicuntur. Pſalmus eſt 137, 7. quem Obadias in animo habuiſſe videtur. E verbis יום ירושלם neſcio an deſumſerit ſuum יום, quod hic et in ſequentibus

tibus juſto ſæpius occurrit. Nullus dubitarem noſtrum hoc loco imitaſſe Jeremiam, ſi modo certum eſſet hunc verum eſſe autorem Pſalmi. Id vero non ex verſionis græcæ, cæterarumque, quæ eam ſequuntur, inſcriptionibus, effici poteſt, quoniam illæ non in omnibus editionibus inveniuntur. Romana quidem, Complntenſis et Aldina habent Ιερεμιȣ, verum M S Alexandrinum inſcriptum eſt Ζαχαριȣ, quocum facit Theodoretus, qui teſtatur, Codd: quosdam Pſalmum tribuiſſe Zachariæ. At majus hoc eſt momentum, quod Pſalmus calamitatem exilii Babylonici, argumentum Jeremiæ amatum, flebili elegiæ colore, huic poetæ proprio, deſcribat. Autor quidem Babylone degere videtur, quo Jeremiam nunquam veniſſe conſtat, et hanc ob cauſam Eichhornius ſententiam eorum repudiat, qvi Pſalmum Jeremiæ tribuunt *); nonne vero Jeremias, ipſe civis, amans civium, et poeta, finxiſſe ſe loco exulum eſſe, eorumque mala plorare ut ſua exiſtimari poteſt? Cum ipſi a Nebucadnezare copia ſedem eligendi conceſſa eſſet, et ductus amore patriæ cum paucis ſolitudinis ſuæ comitibus rudera Palæſtinæ cuivis ſeceſſui antetuliſſet, nunquam tamen, quæ civibus acciderant, a ſe aliena putavit. Patet ex collectione elegorum, qui Threni dicuntur, eum tanquam præſentem doluiſſe vicem civium. Has lamentationes pariter ac ipſum Pſalmum flebilem haud ſcio an ad populares transmiſerit, quo animum miſeratione commotum teſtarentur. Ex quibus ut eo plus

ſolatii

*) Einl. in das A. T. P. 3. p. 525.

ſolatii caperent, quo loco et ſtatui præſenti eſſent accommodatiores, poeta forſan ſe finxit exulem, et patriam ſuam Babylonem.

V. 12. ראה ואל תרא hoc loco notionem ineſſe: *lætari ſpectando*, docet contextus, et ſequens תשמח. Ita David Pſ. 54, 9. ואיבי ראתה עיני.

ביום נכרו Lxx legerunt נכרו▭. Spectaverunt vulgarem vocis נכר ſignificationem: *alienare, tradere in alienas manus*, nam vertunt: *ἐν ἡμερα ἀλλοτριων*. At orationis ſeriei et ſequentibus בו▭ אב▭ aptior videtur notio *infortunii*, quam Michaelis in Supplementis vocibus נכר, نكر, نكور tribuit, probavitque ex formulis Corani عذاب نكر et عذاب نكور, *poena atrox, infortunium.*

ואל תגדל פיך ביום צרה Lxx, qui utuntur voce *μεγαλοῤῥημονειν*, cogitarunt de *inſolentia grandium verborum oſtentatoris;* verum *os magnum facere* potius eſt irridentis et cachinnantis, qui os diducit et contorquet. Quæ notio contorquendi voci גדל, ܓܕܠ, primaria eſt. Ita David Pſ. 41, 10. אוכל לחמי הגדיל עלי עקב *convictor calcem mihi obvertit*, vel ut in citatione Joh. 13, 18. exponitur: *ἐπηρεν ἐπ᾽ ἐμε την πτερναν αὐτȣ.* *Os magnum facere* Hebræis idem valet ac Græcis *ἐγχαινειν*, *hiante ore illudere*, quo certe ſenſu Ariſtophanes in Veſpis vocem ſumit, et Scholiaſtes exponit: *ἐνυβριζειν*, *καταπτυειν*, *ἐγγελαν*. Pro צרה legit Ed. Complutenſis צרת▭, termi-

terminatione vocis עברם præcedentis adſumta. Videtur *το* יום noſtro adeo in deliciis fuiſſe, ut nullus ſit finis repetitionis. Parallelismus membrorum per vices ſuccedentium, cujus uſus, ſi rite temperatus fuerit, poeſin ebraicam ornat commendatque, abit in artem moleſtam et captationem phraſium ingratam, qua ſententiæ frigeſcunt.

V. 13. Obadias vitia nuper obſervata accumulat. Curta phraſium ſupellectile jam abſumta, יום ter repetit, atque ſequens איד non aliter variare valet niſi per numerum pluralem et ſingularem. Quin verſu ſequenti denuo יום צרה recurrit, ſupra ſatis ſuperque repetitum. Prodit ille repetendi pruritus inopiam rerum et verborum, prodit imitatorem, qui talis videri non vult, et ſpeciem novitatis, invita licet Minerva, induit. Eſaiam, Habacucum, aliumve poetarum aurei Ebræorum ſeculi ita nunquam lapſos fuiſſe, certum eſt.

ביום אידם *die graviſſimi eorum doloris.* איד enim proprie *gravem molem* ſignat, ſub cujus pondere quis curvetur. Ita Arabum أيد, *gravis moleſtus.* Græcus Alexandrinus appoſite: *ἐν ἡμερᾳ πονων αὐτων*, nam *πονος* non *laborem* modo ſignificat, ſed et *dolorem intimum, graviſſimum*; *ἐνεϱγεμα ὀδυνης* exponit Heſychius.

אל תרא גם אתה ארעתו Pro תרא Codd. bini Kennicottiani legunt תורא, id quod, cum filo orationis

orationis repugnet, forſan lapſu ſcribentis factum eſt. Unus Codicum, qui habet תשמה, ſenſum ſpectaviſſe, utque ingrata ſoni nuper auditi repetitio evitaretur, vocem ejusdem poteſtatis poſuiſſe videtur. Verum Alexandrinus: *μηδε ἐπιδης και συ την συναγογην ἀυτων.* Legit תרא, ut textus maſoreticus, at peccavit in ברעתו, pro quo haud dubie legit בערתם.

ואל תשלחנה בחילו. Adſumo cum Koehlero l. c. ellipſin vocis ידיכם. *Extendere manus ad aliquid* Ebræis, de *fure* quidem maxime, ſed etiam de *quovis aggreſſore* dicitur. Ita Exod. 24, 11. Pſ. 55, 21. Non igitur eſt, quod hic loci per *bona*, quæ quis poſſideat, חיל exponamus, cum hæc ſignificatio voci non ſit primaria. Verum uſus verbi שלח ellipticus probatur ex Pſ. 18, 17. Lxx cum noſtra verſione faciunt, reddentes: *και μη συνεπιθη ἐπι την δυναμιν ἀυτων*; nam *συνεπιθεμαι* Græcis eſt: *ſimul manus imponere, aggredi.*

V. 14. פרק non eſt *compitum*, verum, ſuffragante ſerie contexta, *ἐκβολη* Alexandrini, *eruptio* et *exitus per locum anguſtum et interceptum.*

ואל תסגר שרודיו recte quidem vertitur: *nec tradas hoſti ex illa pernicie ſuperſtites*, nam סגר notionem *tradendi* habet, et a Lxx ſæpius redditur per *παραδουναι*, verum ſignificatio: *in anguſtias redigere, coarctare,* præcedenti פרק et contextui melius conve-

nit. Lxx hic quoque vertunt *συγκλεισης*. Duplex illa vocis ebraicæ notio haud raro turbavit uſum verborum *παραδιδωμι* et *συγκλειω* in ſtylo helleniſtico verſionis *των ο* et Novi Teſtamenti. Videatur Biel in utroque verbo. שריד ineſt ſignificatio ejus, *qui ex communi clade elapſus eſt*, ex ar. شرد, vide quæ Schultenſius hac de voce præclare diſſeruit ad Jobum p. 527.

V. 15. גמלך ישוב בראשך Ebræis nonnunquam *το* ראש ſynecdochice pro *toto homine*, vel ut Latinis pronomen *ipſe*, adhibetur. Hoc quidem loco ebraismus linguæ vernaculæ non eſt inſolens, ſin vero, qui V. T. tranſtulerunt, alibi v. c. 2 Reg. 2, 3. idioma ebraicum minus preſſe ſecuti fuiſſent, ſenſui conſuluiſſent melius.

V. 16. כי כאשר שתיתם על קדשי ישתו כל הגוים תמיד. Lxx: *διοτι ὁν τροπον ἐπιες ἐπι το ὀρος το ἁγιον μȣ, πιονται παντα τα ἐθνη οἰνον*. Aut revera pro שתיתם legerunt שתית, aut numerum, ut verſui præcedenti reſponderet, vertendo immutarunt. Quoniam vero, ut ſupra obſervatum eſt, in illa numerorum et perſonarum varietate nil novi Obadiæ accidit, שתיתם hic retinendum eſſe exiſtimo. Rectius quidem ponendum fuiſſet Futurum, at huic tempori prophetæ, dum viſiones rerum futurarum tanquam præſentes phantaſiæ obverſentur, præferre ſolent Præteritum. Hoc loco non cogitandum de compo-

compotationibus victorum in monte Sione habitis, tunc enim שתה in priori membro proprie, in poſteriori methaphorice ſumendum eſſet, quem verborum luſum interpretes ne a mediocri quidem poeta ſperare debuerant. Alexandrino אל הר קדשי eſt *ἐπι το ὀρος το ἁγιον μȣ*; verum *ἐπι* cum Accuſativo æque notat *ob, propter*, atque על Ebræorum. תמיד ſententiam aut humilem reddit, aut obſcuram. Lxx vertunt *οἰνον*, ac ſi legiſſent חמר. Inde Houbigantius ſumſit lectionem חמרו, nec diffitendum eſt, properantem librarii manum in literis haud ita multum diverſis facile labi potuiſſe; cum vero lectionem nulla alia verſionum codicumve autoritate probaverit, potius exiſtimo, Lxx, vocabulo ebraico prave intellecto aut plane omiſſo, vocem *οἰνον* libertate paraphraſtica ſubſtituiſſe. Celeberrimi Judæorum defendunt *το* תמיד, aliique minus celebres affirmant, viſum ſibi eſſe Eliam, qui veram hanc lectionem eſſe dixerit. Ingenti illa vi Codicum Kennicott. et Deroſſianorum, qui vel in textu vel in margine exhibent סביב, facile adducerer, ut hanc lectionem præferrem cæteris, ſi autoritate ſatis antiqua niteretur. Tum הגוים, quo gentes ab Idumæis ſupra dictis diverſæ deſignantur, eſſet intellectu facilius, et ſenſus verſus totius hic foret: *Non vos ſolum, Idumæi, poenam luetis, verum omnes gentes finitimæ, et regno Babylonico ſubjectæ, quotquot Chaldæis ſociæ adfuerint in Judæorum terra depopulanda, in partem poenæ venient.*

 וישתו

ושתו ולעו וגו Verborum posterius deduxit Schultensius *) ex لغي *vanus, irritus fuit*, nec sequentia והיו כלא היו refragantur. Verum ob præcedens שתו præfero notionem *absorbendi*, quam tamen secundum contextum et significationem vocis arabicæ لح in versione ita exprimo: *sitientes* v. *siti æstuantes absorbebunt*. In καταβησονται Alexandrini calamus librarii forsan lapsus est, scripturus καταποθησονται, quæ lectio est Ed. Complutensis. Aldina habet καταπιονται, et Hieronymus: *absorbebunt*. In ultimo membro tropus exponitur: *in nihilum usque adeo recident, ut ne memoria quidem maneat.* Formulam ejusdem tenoris Siracides habet: ἁπωλοντο ὡς ȣ̓χ ὑπαρξαντες, ἐγενετο ὡς ȣ̓ γεγονοτες. Cap. 44, 10.

V. 17. והיה קדש Verbum masculinum קדש, non vero פליטה, quod femininum est, respicit. Aut loco subjecti in casu recto repetendum *mons Sionis*.

וירשו בית יעקב את מורשיהם Lxx: και κατακληρονομησȣσιν ὁ οἰκος Ιακωβ τȣς κατακληρονομησαντας ἀυτȣς, et Vulg. *possidebunt eos, qui se possederant*, quos Michaelis sequitur. Cum vero מורש locale potius, quam nomen personæ sit, malo: *domus Jacobi occupabit sedes suas hæreditarias*.

V. 18. והיה — לקש Ebraismum Alexandrini ἐςαι — εἰς καλαμην editio Compl. emendavit in καλαμη. Verum in sequentibus, ubi דלק cum ב, ut

*) Animadv. ad h. l.

ut fert hujus verbi usus, positum fuerit, uterque constructione utitur ebraica: ἐκκαυθησονται ἐις αὐτȣς.

שריד, quod supra verti: *ex communi clade elapsum, superstitem*, hoc loco ab Aquila, Theodotione et Quinta haud incongrue redditur: καταλελειμενος, et a Symmacho: διασωζομενος; verum Alexandrinus: πυροφορος, vel, ut aliæ editiones rectius habent, πυρφορος, *ignifer*. In ista versionis obscuritate commode factum est, quod Suidas interpretatione præiert. Dicit ad h. l. πυρφορȣς ἐλεγον τȣς ἱερεας, τȣς ἐπιβωμιον πυρ αναπτοντας. ἐν τοις ȣ̓ν πολεμοις ἐιωθασε των ἱερεων ὁι νενικηκοτες φειδεσθαι. ἐπι δε των παντελως ἡττηθεντων και συμπατηθεντων ἐν τω πολεμω, ἐιωθασεν ὑπερβολη χρωμενοι ȣ̔το λεγειν, ὁτι ȣ̔τως ἀπωλλοντο, ὡστε ȣ̓δε πυρφορος, ταυτον τον δε ἐιπειν, ȣ̓δε ἱερευς, ὑπελειφθη τω στρατω. Æmilius Portus, editor Svidæ, addit illustrationis ergo adagium illud Erasmianum: *ne ignifer quidem reliquus est factus.*

V. 19. פלשתים — וירשו. הנגב Aquila, Symmachus et Theodotio transtulerunt νοτος, verum Lxx ναγεβ, quo velut proprio nomine dicebatur illa Judææ pars, quæ Idumæam versus et meridiem vergebat. Ita etiam Jer. 32, 44. 33, 13. שפלה quod sequitur, ab Aquila per πεδινη, et a Symmacho per κοιλας redditur, Lxx vero ipsum σεφηλα retinent. De hac terra ita Eusebius: *Usque hodie omnis regio juxta Eleutheropolin campestris et plana, quæ vergit*

ad aquilonem et occidentem, Sephela dicitur. In locis Jeremiæ nuper citatis vocem itidem ebraicam retinent.

את שדה אפרים ואת שדה שמרון Terra Ephraimitica, et in primis regio Samariæ, fertilitate soli hominumque frequentia nobilis erat. vid. Josephum de bello Jud. l. 3. c. 2. Nec illa notio *fertilitatis, uberis*, origini vocis שדה adversatur.

V. 20. וגלת החל הזה וגו Qvæ Obadias in versu præcedenti de futura gentis suæ felicitate dixerat, repetuntur, et curatius determinantur. Hinc ו initiale vertendum: *imo*. Lxx reddunt: *και της μετοικεσιας ἡ ἀρχη αὐτη*. החל igitur iis fuit Infinitivus Hiphil verbi חלל, quod, nominaliter sumtum, *initium* quidem verti potuisset, nisi series orationis contradiceret, et nisi sequens הזה etiam in præcedenti nomine requireret ה præfixum. חל, qvod a חיל diversum, lexicographis semper *antemurale* notat, hoc certe loco pro חיל, tanquam חק pro חוק, ponitur.

אשר כנענים Ellipsis præfixi ב, quod vero ex sequenti אשר בספרד facile intelligitur supplendum.

ספרד Aquila, Symmachus et Theodotio vertunt *σαφαραδ*, verum Alexandrinus posuit *ἐφρατα*, aut lapsu calami, aut loci ignorantia. Nec adhuc situs terræ satis exploratus est. Vulgatæ est *Bosphorus*, Syro et Chaldæo *Hispania*. Certe سفر nomen Hispaniæ

ſpaniæ arabicum eſt, quod in numis hiſpanicis ſeculi 12. inveniri Adlerus noſter autor eſt *). Michaelis exiſtimat vocem arabicam ortam eſſe ex Heſperia, quo nomine Hiſpania Romanis ob ſitum occidentalem dicebatur. Judæos, opinatur, habitantes Hiſpaniam, cum patriam سفر nuncupari audiverint, ſibi perſvaſiſſe, illud idem ac ספרד valere, atque de ſe Obadiam vaticinatum eſſe, eosque hanc ob cauſam nomen ſibi tribuiſſe ספרדים **). Hardtius ספרד Obadiæ Sippharam eſſe, Meſopotamiæ oppidum, prope Neardam, ubi Euphrates in vaſtos ſecatur alveos, exiſtimavit, quod Judæos hic captos deplorant Talmudiſtæ.

V. 21. מושיעים Lxx Ed. Rom. et Theodotio: *ἀνασωζομενοι.* Cod. Alex.: *ἀνδρες σεσωσμενοι.* Aquila: *σεσωσμενοι.* Symmachus et Vulgata melius: *σωζοντες* et *ſalvatores.*

לשפט *το ἐκδικησαι* Alexandrini a verbo ebraico et a contexta oratione plane alienum eſt. Sequens המלוכה oſtendit, verbo שפט hoc loco notionem competere *regendi imperio*, haud ſecus ac *κρινειν* Græcorum interdum pro *ἀρχειν* ponitur. Hinc duces, qui ſummo imperio regebant Iſraelitas, dicebantur שפטים. Hinc forſan *Suffetes* Carthaginienſium. Liv. l. 30. c. 7.

*) Muſeum Cuf. Borgianum.

**) Neue orient. u. exeg. Bibl. P. 1.

Habacucus.

HABACUCUS.

I. 1. משא Recentiorum quidam, licet vulgarem ſignificationem *oneris* inſcriptionibus prophetarum parum accommodatam eſſe viderint, hanc tamen non prorſus neglecturi, verterunt: *oraculum oneroſum, minax.* Illi vero non ita longe a ſcopo aberraſſent, ſi græcos interpretes ſecuti fuiſſent. Λημμα, quæ verſio eſt Alexandrini, Symmachi et Theodotionis, de *onere* nunquam dictum eſt. In locis, ubi משא ſecundum orationem contextam vertendum ſit onus, Lxx reddunt per γομον, ἀρσιν, φορτιον, βασταγμα, e. g. Exod. 23, 5. 2 Reg. 5, 17. 8, 9. Pſ. 37, 4. Job. 7, 20. Neh. 13, 15. 19. Verum ubi filum orationis notionem *vaticinii* v. *oraculi* commendet, ponunt λημμα, ut 2 Reg. 9, 25. Nah. 1, 1. Zach. 9, 1. Mal. 1, 1. Occurrit quidem locus Jer. 23, 33. in quo משא notat *vaticinium*, et ubi, niſi ſenſus obſcurus ſit, de *onere* ſimul cogitandum. At hoc loco paronomaſia aperta eſt in ſignificatu *oneris*, quem Judæi per jocum et ironiam dederunt משא. Cum prophetæ falſi Judæis læta quævis pollicerentur, et credulos vana ſpe lactarent, veri e contrario ingrata et gravia minarentur, hæc vaticinia a quibusdam per ludibrium dicta ſunt *onera*. Si Judæorum quidam rogarent

rent

rent Jeremiam: מה משא יהוה, quodnam ferret vaticinium onerosum et ingratum? respondere jubetur, eos ipsos hoc onus esse, quod humeri Jehovæ tamdiu et patienter satis tulerant, jam vero amplius ferre recusarent. Item v. 36. monentur, ne vera prophetarum oracula dicerent *onera Jehovæ*, qua irrisione ipsi sibi gravissimum *onus* attracturi essent. Lxx, qui in utroque loco λημμα posuerunt, textum verbotenus secuti sunt, de ambiguitate vocis משא exprimenda desperantes. Nec prudens quisquam in paronomasia, cui sermonis generi nulla alia lingua æque ac ebraica facta est, rectam versionem sperabit, nedum veram notionem verborum inde demonstrabit. Verum in cæteris locis nulla ratio est hos interpretes deserere. Ut igitur illi λημμα a λαμβανειν derivarunt, (λημματα, αἱ προφητειαι ἁς ἐλαβον οἱ προφηται ἀπο του ἁγιου πνευματος, verba sunt Moschopuli) ita nos משא deducimus ex נשא *accipere*, et exponimus: *quod accipitur* sc. dicendum, h. e. *vaticinium.* Quod vero Aquila משא verterit per ἆρμα *), quæ vox ab Hieronymo *pondus* exponitur, hoc eum pro more suo verbis et etymis hæsisse probat, de sensu et orationis serie parum solicitum.

I. 4. תפוג Διεσκεδασται Alexandrini non ejus est momenti, ut tolleret notionem *frigendi* ex Sy-

*) ἆρμα Bielii, quod vocabulorum a Trommio omissorum unum est, scribendum ἄρμα ab αἴρω.

rorum ضحى et فاج deductam. *Lex friget* idem valet ac *lex negligitur*. Ejusdem tenoris illud Ciceronis: *frigent judicia*.

ולא יצא לנצח משפט Lxx cum vertant και ἐ διεξαγεται εἰς τελος κριμα, ſenſum quidem, non item verba ſequuntur: *non ad ſcopum ducitur lis* ſ. *judicium*. At ſcopus litis eſt נצח, نصح, *pura puta non fucata veritas*.

רשע — הצדיק Lxx ἀσεβης — τον δικαιον. רשע interdum notat *reum*. Ita Num. 35, 31. *Ne accipiatis pretium redemtionis pro vita homicidæ, ille enim* רשע למות *reus eſt mortis*. צדיק, صدق, vocabulum admodum πολυσημον, cum huic opponatur, notat *innocentem*. Nihilo tamen minus interpretum plerique vertunt *pium* et *impium*, *probum* et *improbum*, ſequentes Lutherum, quem Vulgatus, a græca verſione ipſe deceptus, decepiſſe exiſtimatur. Verum Lxx, ut jam obſervavit Michaelis *), culpa vacant, cum in eorum ſtylo δικαιος et εὐσεβης ſæpius innocentem denotet. Ita in verbis: וידים שפכות דם נקי Prov. 6, 17. נקי Aquilæ eſt ἀθωος, Symmacho: ἀναιτιος, Lxx vero δικαιος. At vocem ἀσεβης *reum* ſignificare, vel ex ipſa oppoſitione patet. Utramque vocem noſtro loco ſumendam eſſe ſenſu forenſi, docet contexta oratio.

I. 5.

*) Orient. u. exeg. Bibl. P. 6. p. 158.

I. 5. ראו בגוים Lxx: ἴδετε οἱ καταφρονηταί, quos ſequitur Apoſtolus Act. 13, 41. Illa verſionis diverſitate adducti ſunt Grotius, Cappellus, Dathius, aliique, ut pro בגוים legerint בגדים, quod cum verterint *perfidi*, novam eo intulerunt varietatem. Michaelis etiamſi in verſione lectionem maſoreticam ſecutus ſit, neſcio an in Supplementis alteram prætulerit. Quod enim hic impendit operæ, ut probaret, non *perfidiam*, ſed *contemtum* vim primariam eſſe vocis בגד, hoc lectioni בגדים tribuiſſe videtur. Verum argúmenta, quæ attulit, nobis haud videntur talia, ut locum non relinquerent dubitationi. Primum ductum eſt ex loco Exod. 21, 8. בבגדו בה non de *perfidia* exponendum, inquit, quod qui ancilla non pro concubina utitur, is *perfidus* dici non poteſt. Verum in præcedentibus אשר לא יעדה ratio continetur, cur *perfidus* dici poſſit, nimirum quod eam emendo ſpem fecerat concubinatus. Secundum eſt Pſ. 25, 3. יבשו הבוגדים ריקם cujus ſententiæ verſioni vulgari: *pudeſient perfidi ſine cauſa* hoc objicit, quod perfidia ſemper ſit injuſta et ſine cauſa. At ריקם non ſolum notat *immerito*, verum etiam *fruſtra, ſine ſucceſſu*, coll. 2 Sam. I, 22. Hinc locum reddo: *pudeſient, qui ſine ſucceſſu perfidi ſunt*, qui nullum perfidiæ fructum capiunt; quam interpretationem Hornemannus noſter vulgari præferendam duxit in verſione Pſalmorum *). Quod tertio loco objicit verbis Eſ. 33, 1. בגד ולא בגדו בך, haud ſcio, cur non

*) Forſög til en Forkl. over Davids Pſalmer.

non dici possit Sanheribo tyranno, qui, ductus auri famæque cupiditate, violato jure gentium, regiones vastavit. Causa versionis Alexandrinæ quærenda forsan in comparatione vocis arabicæ بغا, unde Pocockius *) suspicatur, Ebræis quondam nomen fuisse בגא pl. בגוים. بغا Golio est: *persidia usus fuit, crimen commisit, maligno oculo petivit* eum *et percussit, concitavit in eum mali quid.* Nomen inde factum notionem habuisse haud absimilem illi, quam Alexandrinus, Syrus et Arabs expresserunt, admodum est opinabile. Vide quæ ad I. 13. notavimus. Illud vero facili errore pro גוים cum præfixo sumi potuisse, quis non videt? At quisquis errandi casus fuerit, גוים haud abjiciendum esse existimo, et quidem has ob causas: Vulgaris interpretatio, qua versus hujus capitis priores exponuntur de Judæis eorumque impietate, malis infra prænuntiatis coercenda, nexui poematis officere videtur. Illa admissa, propheta v. 12. sq. finem vindictæ, quam ipse nuper efflagitaverat, vix sine contradictione optare potuisset. Dolet in toto carmine vicem Ebræorum. Videt cladem a Chaldæis inferendam; mens commota et civium amans, an justa sit, haud meminit, Qveritur et deprecatur calamitatem suorum, postulat vindictam hostium. Ille tenor orationis facit, ut versus priores de re publica a Chaldæis turbata exponam, et impedit, quo minus cives hoc in versu *perfidos, arrogantes, contemtores, protervos* dictos esse existimem. Verto igitur

*) Not. miscell. ad portam Mosis p. 30.

igitur *in gentibus*, nec sine consensu veterum. De hac versione ita Hieronymus: *Ubi in hebraico scriptum est Rau Baggoim, et nos transtulimus: adspicite in gentibus, Lxx posuerunt: videte contemtores, excepto Aquila, Symmacho et Theodotione, qui cum nostra interpretatione concordant.* Testimonium Aquilæ hoc loco magni ponderis est, ob exactam et religiosam, qua vertere solet, diligentiam. Certe textus, quem secutus est, nec habuit בגדים nec בוזים, non enim verba græca, ut boni est interpretis, ebraicis appendit, sed annumerat. Neque ab ingenio et judicio Symmachi sperandum, eum temere vertisse: *in gentibus*. Ad versionem, qvam veteres dixerunt *perspicuam*, *manifestam*, *apertam*, *admirabilem*, quis non summa cum fiducia provocaverit? Quod denique de Theodotione dictum est, eum toties imperitia linguæ lapsum esse, quoties proprio Marte absque duce Aelxandrino verterit, hoc certe loco non comprobatum est. His addo Chaldæum, qui non, ut interpres Targumim latinus, quem Dathius citando male sequitur, posuit *videte gentes*, sed *videte in gentibus*, בעממיא, et variam lectionem גוים Codd. 5. Kennicotti et Rabbi Nathanis in Concord. ebr. v. De Rossium ad h. l.

תמהו תמהו Lxx: *και θαυμασατε θαυμασια και αφανισθητε.* In his non minus ac in præcedentibus conciliandis sudarunt interpretes. Aut verba textus transposuerunt, aut alia adjecerunt, aut nova finxerunt themata, id quod eo magis necessarium iis videbatur

batur hoc loco, cum Paulus Act. 13, 41. verſionem Alexandrini ſecutus ſit. Eum nimirum illud, quo græci interpretes huc illuc peccaverunt, etyma verborum nimis premendi, et plus in verſione, quam textus ferebat, dicendi ſtudium, hic quoque a via, quæ boni eſt interpretis, abduxiſſe videtur. Ei forſan occurrit nova vocis תמה notio: *in pejus mutari, corrumpi,* ad quam exprimendam ἀφανίζειν commodum videbatur, quod Matth. 6, 16. de *colore nativo et vegeto in pallidum tetricumque converſo* uſurpatur. Illam eſſe vim thematis תמה, probavit Pocockius *) ex uſu linguæ arabicæ, in qua تمه idem valet. Ita de cibo dicunt, تغير ريحه وطعمه *mutatum eſſe eius odorem et ſaporem.* Hinc fortasſis notio *terroris*, quam τῳ ἀφανίζειν nullus unquam tribuit Græcorum, ab Alexandrino ad verbum hoc translata fuit in locis, ubi ne תמה quidem exſtaret. v. c. Ezech. 30, 9.

I. 6. כשדים Lxx Χαλδαίους. Ex כשדים, quo nomine gentes a כשד nepote Abrahami ex fratre oriundæ deſignantur, jam olim, commutatione literarum linguis orientalibus ſolemni, כלדים ortum eſſe videtur, ex quo כרדים factum eſt. Hos enim, qui vulgo *Kurdi* vocantur, terram Kurdiſtan habitantes, originis Chaldaicæ fuiſſe, et montes eosdem meridionales Armeniæ, quos antiqui Chaldæi

*) Not. miſc. p. 40.

Chaldæi tenebant, incoluiſſe, eſt opinio eruditorum admodum probabilis.

רהגוי המר Lxx: *το ἐθνος το πικρον.* מר Ebræorum et Arabum haud ſecus ac *acerbus* latinorum notat et *amarum.* et *crudelem.* Hoc ſenſu Arabes dicunt Diabolum ابا مرة. Nec aliter *πικρος* Græcorum.

ההולך למרחבי ארץ Lxx vertunt: *το πορευομενον ἐπι τα πλατη της γης*, Ebraismum preſſe ſequentes. Eadem phraſis occurrit Apoc. 20, 9. *ἀνεβησαν ἐπι το πλατος της γης.* הלך vertendum *palantem*, ſvadent ſequentia למרחבי et לרשת משכנות לא לו.

I. 7. אים ונורא הוא Lxx: *φοβερος και ἐπιφανης.* Quod et hic et alibi, e. g. Joel. 2, 11. 3, 4. Zeph. 2, 11. Mal. I, 14. verterint נורא per *ἐπιφανης*, adeoque vocem ebraicam ex ראה, non vero, uti fieri oportebat, ex ירא derivarint, hoc argumento eſt, Prophetas minores ab uno interprete tranſlatos eſſe.

שאת Lxx per *λημμα* reddentes eodem ſenſu ſumunt, quo alias ſumſerunt משא, *oraculum, vaticinium.* Symmachus, qvi vertit *δογμα,* verborum nexui propius accedit. *Δογμα* Heſychio eſt *προσταγμα*, nec aliter intelligendum in loco Act. 17, 7. *ἀπεναντι των δογματων καισαρος πραττουσι.* Expono igitur שאת *decretum pro autoritate* ſ. *jure imperii.*

imperii. Gen. 4, 7. notat *elevationem faciei* i. e. *confidentiam*, nam v. 6. opponitur נפלו פניך i. e. *pudori*. Inde forſan ad *ſuperbiam*, *ſuperbum reſponſum*, translatum eſt.

I. 8. וחדו מזעבי ערב Acumen, quod lupis et equis tribuitur, ſi ad *viſum* referatur, collata radice حكّ, nec colori poetico, nec rerum veritati officit. Lupo viſum acutum tribuunt ex vulgari opinione, quam ſi vel maxime falſam dixerimus, trahendam potius in odoratum, quo eum admodum valere conſtat, cum naribus adverſus ventum porrectis e longinquo vivorum corporum odorem aut cadaverum fætorem ſentiat, eam tamen poeta ſequi jure ſuo potuit. Equos vero Arabibus oculorum acie celebratos eſſe, probavit Schultenſius ad h. l. proverbio: أبصر من الفرس *equo oculatior*. Poetæ, cum in eo ſit, ut non quidem mala a Chaldæis infligenda in univerſum depingat, verum ut exercitus adventantis picturam, partes ſingulas perſequendo, varietate colorum ornet condecoretque, nova hæc imago vix detrahenda videtur. Alexandrinus ſaltem non refragatur, vertens ὀξύτεροι. Græci dicunt: ὀξὺ βλέπειν. Aquilam ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν dixit Homerus.

Lxx vertunt τῆς Ἀραβίας. Scilicet pro עֶרֶב legerunt עֲרָב vel, ut legitur Ezech. 27, 21. עֲרַב, id quod multorum, quæ hac verſione depromi poſſunt,

possunt, argumentorum unum est ad eos refutandos, si etiamnum fuerint, qui puncta vocalia haud secus ac inspirata venerantur.

ופשו ἐξιππασονται Alexandrini sonantius est quam verius. Verbum referendum est ad subjectum סוסיו, et vertendum: *superbia exultant*, collata radice فاش, qua notione Schultensius picturæ poeticæ nonnihil lucis et pulchritudinis addidit *). Ad ea, quæ Schultensius ad h. l. dixit de vocibus פרשיו ופרשיו, nihil, ut nostra fert sententia, accedere potest præter hoc, quod Codd. bini Kennicottiani omiserint posterius, unus Derossianus prius.

כנשר חש לאכול Προθυμος Alexandrini ebraica sublimitate inferius est. Phrasis Jobi 9, 26. fere eadem: כנשר יטוש עלי אכל. Verum Græcus hoc loco posuit πετεσθαι magis poeticum; nam interpres Jobi interdum sensum aliquem pulchri et ingenium literis græcis subactum prodit, quod in versione Habacuci raro admodum deprehenditur. Onomatopoetica חוש et חרש sonum alarum aquilæ crepitantium apposite imitantur.

I, 9. לחמס. Alexandrinus, si, expositurus vocem חמס, qua omne quidem *injuriæ*, *oppressionis*, *violentiæ* et *extorsionis* genus comprehenditur, in versione pro εἰς ἀσεβεις posuisset εἰς ἀσεβες vel εἰς ἀσεβειαν, certe ad textum prope accessisse dicendus

*) Animadv. ad Jer. 50, 11.

dus esset. חמס in Psalmis et Proverbiis sæpius per hoc vocabulum, late satis patens, redditur. At propriam vim vocis ebraicæ, *cruditatem, crudelitatem, cædis et sanguinis amorem,* non tamen exprimit ἀσέβεια, vid infra ad II. 17. Symmachus, vertendo εἰς πλεονεξίαν, notionem cognatam, *avaritiam prædatorum,* captavit more suo liberius, de græca magis elegantia, quam etymologia ebraica laborans. Præcedens כלה, quod Alexandrinus versione sua obscurum reddidit, Symmachus etiam vertit παντα, sive quod textum punctis curatius instructum habuerit, sive quod nexui orationis potius quam vocabulis attenderit.

מגמת פניהם קדימה Lxx: ἀντεστηκοτας προσωποις αὐτων ἐξεναντιας. Symm. ἡ προσοψις τȢ προσωπȢ αὐτων ἀνεμος καυσων. Lexicographi deducunt מגמה ex גמא *sorbere,* et locum reddunt: *citato cursu, quo terram quasi absorbent* (vix degustant), *orientem petunt.* Verum illa versione tumorem orationi inferunt, vixdum audaciori Orientalium poeticæ ferendum. Nec Græcos de *absorbtione* cogitasse certum est. His propius accedit Michaelis in Supplementis, adsumens notionem *adspectus, adparentiæ,* thematis جبا pro جبو positi, in qua vocis ebraicæ interpretatione Arabs et Jonathan consentiunt. Vertendum esset igitur: *pars antica facierum.* At dictarum phrasium nescio an ista turgidior, an hæc humilior fuerit, nec concinnitatem styli versionum antiquiorum autoritati posthabendam existimo. Hinc deduco מגמה ex eadem radice جم, ex qua Schultensius

ſius deduxit particulam גם *). Hæc illi ſignificat *multitudinem*, *augmentum*, *acceſſionem ad cumulum.* Valet de *aqua: confluxit*, *explevit menſuram*, *auxit eam adjecto cumulo*, et de *equo*, cui *uno curſu exhauſto adfluit alter currendi vigor.* Sic מגמה eſt *curſus inexhauſtus*, *qui eousque delaſſari neſcit*, *ut ſeſe inter currendum reficiat*, *animetque ad majorem alacritatem*, et totum membrum vertendum: *inexhauſtus vigor faciei eorum*, *curſusve ſeſe identidem animans*, *eſt ad modum venti orientalis.* Hac metaphora aſſumta, ſententia fortior evadit et ſublimior. جم quadrat in ventum vehementius flantem, ſeque flatu ipſo animantem. Non tamen diſſimulandum eſt, obſtare interpretationi ה locale vocis קדימה, quod aut delendum, aut pro nova terminatione, forſan metri cauſa τω קדים addita, habendum. Ανεμος καυσων Symmachi *Eurus* eſt, qui apud orientales voce arabica *Samum* vel *Samiel*, ventus venenatus, appellatur.

I. 11. אז חלף רוח ויעבר Alexandrinus חלף רוח et וחליפו כוח Eſ. 40, 31. pro formulis iisdem habuiſſe videtur, at notio *renovandi robur*, huic certe loco aptiſſima, æque male et languide per *αλλαξουσι ισχυν* ac loco noſtro per *μεταβαλει το πνευμα* expreſſa eſt. Præfero tamen interpretationem Michaelis: *adſequitur ventum et tranſit*, arabismo ſignificationem radicis خلف: *pone venit*, *inſecutus eſt a tergo*, ſubminiſtrante.

*) Comment. in Proverb. Ed. Vogelii. p. 151.

אשם Lxx, qui vertunt ἐξιλασεται, reſpexerunt ad nomen אשם, quod huc illuc vim vocis כפר, λυτρου, habet. Symmachus et Aquila poſuerunt πλημμελεσει, quod verbum Hieronymus ad h. l. recte quidem reddidit per *delinquere*, at minus recte expoſuit annotatione, quæ ſequitur: *Hanc habet ſcripturа ſacra conſuetudinem, ut* אשם *i. e. delinquet ponat pro eo quod eſt: deſinet eſſe quod fuerat. Tale quid et nos habemus in linguæ noſtræ idiomate, dicentes: vapulavit exercitus pro eo quod eſt: interfectus et cæſus eſt, et peccavit vinea et ager pro eo quod eſt: vindemia et fruges non habuere proventum.* Qvam ſignificationem negativam, ſi vel maxime lingua ferret, ſenſus loci nullo modo feret. Verto: *circa res ſacras delinquet, ſacrilegium committet. Univerſis terris* (utor verbis Michaelis in Suppl.) *celerrimo victoriarum curſu peragratis, tandem infeliciſſima Chaldæus potietur victoria, populum Deo ſacrum in ſervitutem redigens*, aut *ſacra ejus ſpolians.*

I. 12. לא נמות Michaelis *), et qui eum ſequuntur, corrigunt in לא תמות, obſecundantes Raschio et Kimchio, quibus נמות eſt Tikon Sopherim, inſertum textui, quod librariis religioni fuerit mortem vel negative Deo tribuere. Verum Kennicot nullibi invenit תמות, nec De Roſſi, cujus hæc ſunt verba: *nullus* תמות, *ut fert Tikon Sopherim.* Provocant ad Syrum et Chaldæum, qui ſecundam perſonam habent;

*) Or. u. exeg. Bibl. P. 20. p. 197.

bent; at ex libertate, qua hunc locum vertunt, plusquam paraphraſtica, quis unquam verum textum elicuerit? Nobis Alexandrinus et Symmachus potiores videntur, et digni, quos ſequamur. Ille vertit: ὀυ μη ἀποθανωμεν, et hunc vertiſſe: *ut non moreremur*, Hieronymus autor eſt. Nec rationem videmus, quare אל נמות non ſit vera lectio. Si illud offenderit, quod membrum præcedens et conſequens aliam perſonam habeat, poetæ vehementer commoto illud certe ignoſcendum fuiſſet. Sin vero Soloecismus corrigendus, quod non ſcriptum erat אל נמות, vel rectius, cum אל tollat ו futuri, אל נמת, vertendum modo fuiſſet: *non moriemur, non peribimus.*

וצור להוכיח יסדתו - Michaelis *) primus tanta luce perfudit, ex verſione Alexandrini petita, ut quotquot poſt eum ſuper hoc loco ſcripſerint, nil habuerint addendum.

I. 13. והביט אל עמל לא תוכל Lxx Ed. rom. *και ἐπιβλεπειν ἐπι πονους ὀδυνης.* At ὀδυνης nec in textu exſtat, nec ſenſum præbet commodum. Videtur ergo legendum ὀυ δυνησῃ, quod in ὀδυνης ex gloſſa marginali, aut alio quodam caſu corruptum eſſe, confirmant Cod. Alex. et Barberinus, et Ed. Aldina, voces ὀυ δυνησῃ exhibentes. In eandem ideam concinunt Cod. Barberinus in margine, et Vulgatus. Hic habet

*) Beurtheilung der Mittel, die ausgeſtorbene hebräiſche Sprache zu verſtehen. p. 24. Orient. u. exeg. Bibl. P. 23. p. 167. ſq. Supplem. in L. H.

βλεπειν ἐις μοχθον ουκ ἀνεχομενος, ille: *aſpicere ſuper dolorem non poteris.*

בוגדים Lxx iterum vertunt *καταφρονȣντας*, quo illa opinio Michaelis (vid. I. 5.), qvod ſcilicet notio *contemnendi* voci בגד ſit primaria, confirmari videtur. Verum *καταφρονεω* non ſolum valet *contemnere*, verum etiam *capere conſilium adverſus aliquem*, *ſtruere inſidias*, *doloſe affectare*. Ita Herodotus, Clio c. 59. dicit de Piſiſtrato: *καταφρονησας την τυραννιδα, ἠγειρε τριτην ϛασιν*, quod Kallius noſter ita vertit: *tertiæ factionis autor fuit, regnum ipſum affectans*. Quin ipſis Alexandrinis notionem *doloſe affectandi* non ignotam fuiſſe, probant verba illa Jacobi Gen. 27, 12. *ἐσομαι ἐναντιον ἀυτȣ ὡς καταφρονων*, כמתעתע, *ut impoſtor*. Ita quoque nomen *καταφρονησις* non modo notare *contemtum*, verum in genere *vitam ſceleſtam*, obſervavit Schleusnerus *) et probavit exemplo Sir. 22, 6. *τεκνα ἐν καταφρονησει και ἀπαιδευσια γέγαυρωμενα*. Nec Alexandrini vocem ebraicam ubique reddunt per *καταφρονειν*, verum paſſim per *ἀθετειν* vel *ἀσυνθετειν*, quibus vocibus notionem *doli*, *perfidiæ*, ineſſe conſtat.

בבלע רשע צדיק ממנו Lxx: *ἐν τω καταπινειν ἀσεβη τον δικαιον*. Aquila, ut ſolet, curatius: *καταπινοντος ἀσεβȣς τον δικαιοτερον ἀυτȣ*, quem Symmachus et Theodotio ſecuti ſunt, ut patet ex citatione in Comment. Theodoreti. De vocibus רשע et צדיק vid. I. 4. I. 17.

*) Lexici in Interpretes Græcos V. T. Spicilegium. Lipſ. 1784. pag. 68.

I. 17. העל כן Lxx et omnes veteres præter Targum omittunt ה interrogativum. Verum unus modo codex De Rossianus habet על כן. Si retineatur, sententia fortior evadet.

וריק חרמו Cod. Barberinus in margine habet *ἐκκενωσει μαχαιραν αυτȣ*, quod postulat lectionem חרבו, quæ quidem assumi poterat, cum ריק præter notionem *effundendi, evacuandi*, etiam illam *stringendi, evaginandi* habeat, e. g. Ezech. 28, 7. Mal. 3, 10. nec obstat membrum parallelum ותמיד להרג גוים. Non tamen dubito, veram lectionem esse חרם, *ἀμφιβληστρον* Græcorum, qua voce toti imagini, ex piscatura desumtæ, coronis quasi imponitur, ut allegoria omnibus numeris sit absoluta. Etiam verbo ebraico ריק et arabico راق notio *effundendi* est frequentior. Quod vero sequitur: *et nunquam gentes sine misericordia desinet occidere*, exponit metaphoram.

II. 1. מצור Mira subest versionibus antiquis in hujus vocis interpretatione diversitas. Lxx vertunt *πετραν*, Symmachus *inclusum*, Aquila et Quinta *κυκλον*, Theodotio *γυρον*, Hieronymus *munitionem*. Qui verterunt *circum*, secuti sunt fabulam Talmudicam, de qua Camius Ebræus in scholiis ad h. l. *Doctores nostri, quorum memoria fausta est, dicunt, quod facto circulo steterit in ejus medio, dixeritque: Non exibo hinc, donec mihi dixeris, cur differas poenam improborum* *). Vero similior est notio *munitionis* Hierony-

*) Drusii Fragmenta vet. græc. interpr. p. 729.

eronymiana, quæ deducitur ex مصر; nec tamen apta ſatis eſt ad ſeriem orationis. Sequentia ואצפה לראות movent ſuſpicionem *ſpeculæ altæ*, non vero *munitionis*, nam צפה eſt abſolute *ſpeculatorem egit*, ut Arabum صفي *nituit, nitida claritate ſplenduit*, unde per metonymiam: *nitidiſſima acie inſpectavit, intenſum egit ſpeculatorem.* πετρα Alexandrini reſpondet huic notioni, ſive, ut opinatur Michaelis in Supplementis, legerint מצור, مصان, *vertex montis*, ſive, vocalibus mutatis, מָצוֹר, *ſpecula alta*, a נצר *obſervavit*, Arabibus منظرة.

תוכחתי verto *ſcrutationem meam ſollicitam, dubitationem*, verbo ex arabismo in opem vocato وكع *alte effodit*, cui in quarta اوكع eſt: *lapidoſum usque ad fundum pervenit in foſſione.* Ab illa ſignificatione non multum abludit ἐλεγχος interpretis græci, quæ vox certe notionem *argumentandi, diſputatione explorandi* habet. Neſcio, cur Michaelis et recentiorum alii vertant *querelam.*

II. 2. כתב — ובאר Michaelis *) punctis inſtruit כָּתֹב et וּבָאֵר ut Participia Paul, quod ipſi vaticinium prophetæ non eam, quæ in reſponſo divino ei tribuitur, perſpicuitatem habere videtur, et ad Eſaiam, qui interitum regni Chaldaici plenius deſcripſit, hic reſpici exiſtimat. At fatum Chaldæorum, licet brevior et ſubobſcurior ejus deſcriptio videatur, oculis tamen

*) Or. u. exeg. Bibl. l. c.

tamen poetæ, in ecſtaſi conſtituti, ſumma cum perſpicuitate obverſatum eſſe, nihil eſt quod dubitemus. Nobis oraculum Habacuci tantæ obſcuritatis eſſe, quantam ei Michaelis in verſione tribuerit, nunquam viſum fuiſſe fatemur, tametſi lucem, qua Vir b. loca quædam difficiliora perfudit, et nos percepiſſe, grati agnoſcimus.

אל הלחות Lxx: *ἐις πυξιον*. Bahrdtius in Hexaplis conjicit legendum eſſe *πυκτιον*, *librum*, *libellum plicatilem*. At *πυξιον* voci ebraicæ melius reſpondet, et confirmatur ab Euſebio, qui in libro 6. *ἀποδειξ*. citavit verba hæc: *γραψον ὁρασιν σαφως ἐν πυξιω*. Symmachus liberius: *paginas*, et Chaldæus: *librum legum*. לוח Ebræorum proprie notat *tabulam politam*, ex rad. arabica لوح *ſplenduit, micuit*. Eam ſignificationem in verſione poſuiſſe, id vero eſt etymologiam nimis preſſiſſe et emphaſibus juſto curioſius inhiaſſe, id quod in exegeſi Schultenſiana non immerito reprehenſum eſt. Uſus ſæpius notionem vocis primariam aut omnino tollit, aut reddit ſecundariam et collateralem. Quod niſi ita ſe haberet, לוח non recte reddi dicendum eſſet per *πυξιον*, cujus vis primaria olim fuit *πυξος*, *buxus*, ex quo pugillares antiquitus fieri ſolebant. Quis vero unquam verteret *πυξιον tabellam buxeam*?

למען ירוץ קורא בו *ut vel currens recitet.* Formula eadem occurrit Dan. 12, 4. ישטטו ותרבה הדעת *multi prætercurrent*, *et augebuntur cognitione*

 i. e.

i. e. *facile intelligent.* Lxx: ὅπως διώκῃ ὁ ἀναγινώσκων αὐτα. Aquila et Symmachus pro διώκῃ posuerunt curatius τρέχῃ, קורא, ut Græcorum ἀναγινώσκων, non qui legendo discit, sed *recitator, lecta pronuntians.* Ita arabice قرأ *prælegit alteri, legendo docuit*, nec, nisi cum علي, *didicit*, v. c. قرأ عليه *legit sub eo, didicit ab eo.*

II. 3. כי עוד חזון למועד *suo nimirum tempore implebitur visio s. vaticinium.* עוד potius omittimus, vel, si quis retinendum putaverit, proderit forsan ad oraculum, quo excidium regni Chaldaici prædicitur, ab illo, quo capite primo invasio Chaldæorum præcinitur, distingvendum: *Præter oraculum, quod territus jam audivisti, hoc adhuc audies, suo tempore implendum.* Non est, quod hoc loco cum Michaelis ad Jeremiam respiciamus. Multo satius ducimus, autorem ex ipso suo argumento exponere. Qvin notionem *temporis præstituti*, licet recte pendeat ab arabismo وعد et موعد inde derivato, potius rejiceremus, adoptata significatione *promissi*, quam Schultensius *) linguæ ebraicæ restituit; nisi Lxx posuissent ὅρασις ἐις καιρὸν, et omnes veteres de *tempore* cogitassent, et, quod maximum est, nisi sequeretur ויפק וגו.

ויפח לקץ ולא יכזב Si verbo פוח notionem *spirandi cum sono sibilante, anhelandi*, tribuere, et onomato-

*) Animadv. phil. ad Ps. 75, 3.

matopoeticum Arabum فاخ conferre liceat, ſenſus prodit ſeriei orationis et ſermoni poetico egregie aptus: *ad finem anhelat, laxatis quaſi habenis properat cum ſono ſibilante.* Ἐσπερας, qva voce M. S. Alexandrinum reddit לקץ, corruptio eſt verioris lectionis ἐις πεϱας. Lxx, cum ויכזב vertant ἐις κενον, vocem ebraicam exponunt, non item transferunt. Curatius alius: διαψευσεται, quo ſigno Aquila facile agnoſcitur, ſi vel maxime Euſebius in libro 6. ἀποδειξ. non illi tribuiſſet.

אם יתמהמה וגו Verba ſynonyma ὑϛεϱεω et μελλεω, quorum prius Alexandrinus, poſterius Aquila habet, æque bene exprimunt vocem ebraicam התמהמה, cujus etymon ܡܗܐ et quadril. ܡܗܡܗ, indeque ܐܬܡܗܡܗ, Ebræorum Hithpael ſimillimum, arabismo receptum eſt. Mox vero Lxx voce ὑπομεινον notionem inferunt *patientiæ, tolerantiæ,* quam filum orationis, non item verbum ebraicum ſvadere videtur. Aquila fere ſimiliter: πϱοσδεχȣ. Lxx phraſin plane orientalem בא יבא ſuo intulerunt græcismo: ἐϱχομενος ἡξει, quæ cum a Paulo repeteretur in citatione Ebr. 10, 37. nec multum abhorreret a nomine, quo Chriſtus appellatur Matth. 11, 3. his novo fuit argumento, qui textui vaticinia Meſſiana per vim extorſerunt.

II. 4. עפלה Si verſiones interpretum antiquorum hoc loco recenſere, easque cum textu maſoretico

longa demonſtratione componere ſatageremus, non niſi acta agere, et crambem, olim ſapidiſſimam, ad nauſeam usque recoquere exiſtimaremur. Ea nimirum lux eſt, qua locum perfuderunt Pocockius *), Schultenſius **) et Michaelis ***), ut nulla poſſit eſſe clarior.

De verbis difficilioribus לא ישרה נפשו בו adeundus idem Michaelis et Kofodius noſter ****).

צדיק וצדיק באמונתו יחיה, quod in genere notat *veracem*, *integrum*, *innocentem*, hoc loco habet notionem *fiduciæ in promiſſa divina collocatæ*, quo ſenſu Abrahamo צדקה tribuitur Gen. 15, 6. Haud ſecus obſervatum eſt ab eruditis, vocem δικαιος ſignificare *omne, quod tale eſt, quale eſſe debet*, ejusque ſenſum in ſingulis locis e ſerie orationis conſtituendum eſſe. Poſterius hoc membrum, oppoſitum τω עפלה, confirmat notionem *incredulitatis* et *negligentiæ* huic voci ex arabismo ſubjciendam. חיה, quod ut Græcorum ζαω, idiotismo ſatis frequenti, *omne genus felicitatis* notat, coll. Pſ. 22, 27. Job. 21, 7. opponitur præcedentibus לא ישרה.

II. 5.

*) Not. miſcel. philol. bibl. p. 42.

**) Animadv. phil. ad Num. 14, 44.

***) Orient. u. ex. Bibl. P. 23. p. 170.

****) Chabakuk vaticin. comment. crit. atque exeg. illuſtr. Havn. 1792.

II. 5. ואף כי היין בוגד גבר *Etiamne vinum perfidum? Tyrannus ipse prosternens.* Initium abruptum et obscurum, ut est in oraculis. אף כי vim interrogandi habet, cum non in comparatione affirmante vel negante positum sit. ו præfixum otiosum est, ut in codice ebræo sæpius. Respondetur eo vocibus גבר יהיר, ellipsi Ebræis solemni. Lxx, qui vertunt ἀνὴρ, spectaverunt גֶּבֶר textus masoretici, verum גִּבֹּר fortius est, et magis poeticum. גִּבֹּר [verbis utar Michaelis *)], significat *violentum, prædonem, oppressorem*, qui jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis. Sic Doëgum David גבור vocat, vocabulo ad ignominiam traducto Ps. 52, 3. et Arabibus جبار *prædo, homicida* est, coll. Alcor. Sur. 26, 130. 28, 18.

יהיר ולא ינוה יהיר ad גבר referunt interpretes, et vertere solent secundum Talmudistas aut *superbum*, aut *fatuum*, quarum significationum Alexandrinus priorem adoptavit, reddens ἀλαζων. Verum ob ו, seqventi לא præpositum, sumimus ut verbum cum sequentibus connectendum, præferentes notionem *diruendi, prosternendi*, quam Michaelis **) deduxit ex هور Arabum. Pro ינוה vellem, ut scriptum fuisset ירוה, quam lectionem, nisi Syrus habuerit, vertens: *non satiatur*, in nullo codice aut versione deprehendimus.

*) Lowth de sacra poesi Hebr. P. 1. not. 13. Ed. Goett.

**) Beurth. der Mittel, welche man anwendet die ausg. hebr. Sprache zu verstehen. p. 312. et Suppl. ad L. H.

hendimus. Alexandrinum voce περαινειν respexisse verbum ar. نوي *intendit*, et in II. *perfecit rem suam*, conjectura est Kofodii, haud improbabilis. Nobis Symmachus, qui reddit ἐυπραγησει, vel, ut alias habetur, ἐυπορησει, eadem mente vertisse videtur.

אשר הרחיב כשאול נפשו Figura desumta est ex Esaia c. 5, 14. cui plures colores poeticos noster debuit. נפש, نغس *appetitum* notat Prov. 13, 14. et in illo præcepto Arabum: لاتاكل حتي تطير نغسك عصافير *ne comedas, antequam tumultuentur strepentes passeres appetitus tui.* Prov. 28, 25. recurrit phrasis רחב נפש *vastus cupiditatis.* Alexandrinus versionem suam obscuram reddidit, ebraismum presse sequendo: ὁς ἐπλατυνε καθως ᾀδης την ψυχην ἀυτȣ.

והוא כמות ולא ישבע exponunt præcedentia. שאול, orcum poeticum Ebræorum, Salomon inter qvatuor *insatiabilia* numerat Prov. 30, 16. Græci simile proverbium habent: κοιλιαν ȣδεποτε πληροι ταρταρος.

ויאסף אלוו וגו non ad mortem referendum, sed ad regnum Chaldaicum, cui personam poeta induit.

II. 6. הלוא —— חידות לו Persequitur Habacucus oraculum oratione, ut videtur, interrogativa. Verum הלוא sæpius abundat ex usu Arabum, quibus tantum inservit ad excitandam attentionem. עלוו משל וישאו וגו bene Dathius: *eum irridebunt, et*

dicteriis

dicteriis et sannis excipient. Quamvis enim מְשָׁל, ut obſervavit Michaelis *), breve quoddam et mediocre verſuum genus, ab aliis carminibus diſtinctum, atque etiam cantico, שִׁיר, oppoſitum, ad morum vero diſciplinam ſapientiamque pertinens, deſignet, tamen omnia in univerſum carmina, prophetica, epinicia, lugubria, invectiva, ob figuratum dicendi genus משלים vocantur. Carmina vero, quæ gentes a Chaldæis devictæ de victoribus proferrent, ad genus invectivum referenda ſunt. נָשָׂא cum מְשָׁל combinatum notionem *proferendi, enuntiandi* habebit. Lxx aliam ſignificationem vocis ebraicæ ſc. *accipiendi* ſine judicio prætulerunt, vertentes: *παραβολην ληψονται.* Eſaias, qui itidem C. 14, 4. Judæos devictos carminibus Chaldæos victores irridere fingit, formulam eandem habet נשאת המשל הזה על מלך בבל. מליצה eſt ſynonymum חידה, nam in lexicis arabicis thematum لاص et حاد unum per alterum exponitur. Primariam utriusque vocis virtutem in *torquendo* et *obliquando* ſitam eſſe, exiſtimat Schultenſius **). Cum vero لاص etiam notat: *obliquo oculo adſpexit, limis oculis intuitus eſt a dextra et ſiniſtra,* quod irriſoris eſt, מליצה potius vertendum *ſcomma, dicterium riſui et ludibrio factum.* חידה, حيدة quod interpretes parum analogice deduxerunt ex חדד *acutus fuit,* a *nodo in cornu ibicis* ſ. *rupicapræ* ad *nodos ænigmatum flexusque tortuoſos* translatum eſt, unde

*) Lowth de ſacr. poeſi Hebr. P. I. not. 8.

**) Comment. in Proverb. p. 3. Ed. Vog.

unde etiam omne in universum carmen, a vulgari sermonis proprietate deflectens, חידה vocatur. Sic Latini *prosam* orationem tanquam *prorsam*, seu rectam dixerunt, quod eam non inflexerat cantilena, id quod verbis dixi Michaelis, ut ille dixit Donati *). Lxx ed. Rom. reddunt vocem per *διηγησιν*, verum Complutensis per *διηγημα*, quorum posterius, ut est in præceptis Grammaticorum subtiliter distingventium, breviorem, prius longiorem narrationem denotat. Michaelis **) conjicit, eos deduxisse חידות ex ܚܘܐ, *narravit, novi quid retulit*, quæ licet falsa sit etymologia, cum his interpretibus non male congruit.

עבטיט Versionis Alexandrinæ Codex Compl. qui legit binis verbis עב טיט, ut et Codd. complures Derossiani, vertit *lutum densum*, ita quoque Syrus et Vulgata: *multiplicatio, nubes luti.* Græcus, qui in Codice romano reddidit: *βαρυνων τον κλοιον αυτȣ σιβαρως, aggravans bojam* vel *jugum suum vehementer*, non quidem vocem transtulit, at libertate paraphrastica quædam substituit, a sensu non prorsus aliena. Nos unam vocem legimus, seqventes textum masoreticum, et vertimus: *æs alienum*, quæ interpretatio et ellipsin לא־לו prioris membri pulchro sententiarum parallelismo explanat, et sequenti נשכיך melius respondet. Etymon vocabuli *ἁπαξ λεγομενȣ* Deut. 15, 6. 24, 10. etc. occurrere videtur; hoc vero idem esse

*) Lowth de sacr. poes. Hebr. P. I. not. 8.

**) Beurth. der Mittel &c. p. 177.

eſſe ac عبط Arabum, vix lexici Coccejo-Schulziani dixerim periculo. Nec tamen inde ſequitur, alterum membrum tautologia laborare. Parallelismus ſententiarum [verbis utar viri præclare docti *)] membra quidem invicem non ita æqvalia facit, ut unum ab altero ne idea quidem acceſſoria differat, ſed ſæpe poſterius membrum prioris ſententiam vel alia imagine exprimit, vel nimis vage propoſitum circumſcribit, vel obſcuriorem tropum uſitatiore et faciliore illuſtrat.

II. 7. בשכין Lxx, cum vertant δακρυοντες, quam verſionem recentiores tantum non omnes ſequuntur, orationem humilem et fere plebejam fecerunt. נשך a *mordendo* translatum eſt ad *fœnerandum*, uſuram capiendum, de qva voce hæc fertur ſententia Talmudiſtarum etymologica: *Creditor mordet, cum exigit, quod non dedit; debitor mordetur, cum reddit, quod non accepit.* Senſus igitur hic eſt: *qui ſuum etiam a te cum lucro repetent.*

D II. 8.

*) I. F. Schleusneri Diſſ. philol. de parallelismo ſententiarum. Cujus verbis, cum noſtratium quosdam tautologiis ſacræ poeſeos hærere animadverto, adponam locum libelli a Leſſingio editi: *Erziehung des Menſchengeſchlechts. Der Stil iſt bald plan und einfältig, bald poetiſch, durchaus voll Tavtologien, aber ſolchen, die den Scharfſinn üben, indem ſie bald etwas anders zu ſagen ſcheinen, und doch das nämliche ſagen, bald das nämliche zu ſagen ſcheinen, und im Grunde etwas anders bedeuten, oder bedeuten können.*

II. 8. וישלוך — שלות Lxx per σκυλευειν interpretantur, cujus primaria poteſtas eſt: *pellem detrahere, veſtes exuere.* Reſpexerunt nempe ad originem vocis שלל, *detrahere, exuere*, quæ ſub سل Arabum aſſervata eſt. Qvin ipſa ebraica lingva hanc notionem exhibet Ruth. 2, 16.

II. 9. בצע בצע Interpres Alexandrinus parum accuratus et ebraizans habet πλεονεκτων πλεονεξιαν. Latinus, licet barbare dixerit: *qui congregat avaritiam*, propius tamen acceſſit ad veram ſignificationem vocis בצע, بصع.

II. 10. קצות Alexandrinus: συνεπεραναs, quod ſi pro *exſcindendo* ſumſerit, nova hæc eſt ſignificatio, Græcis profanis vix uſitata. Lego קַצוֹתָ verbi קצץ cum Michaelis *).

וחוטא נפשך *Et reatu mortis temet obſtrinxiſti.* Quod חטא notionem *reatus* adferat, probatur ex locis Num. 32, 23. Gen. 43, 9. Affinis eſt phraſis וחטאו חמס נפשו. נפש cum ſuffixo pronomen eſſe periphraſticum, Orientalibus ſolemne, vix notatu dignum eſt.

II. 11. כפיס Qui vertunt *nodum*, vel *ſcarabæum*, vel *laterem*, aut incertam interpretationem τȣ κανθαρος Alexandrinæ verſionis, aut dubiam Talmudiſtarum autoritatem ſequuntur. Qui vero habent *nexum trabium* ſ. *vinculum lignorum*, videntur petiiſſe notionem *ligaturæ* ex arabismo. Horum vero plurimi,

*) Or. u. exeg. Bibl. l. c.

mi. Ita Symmachus: *συνδεσμος οικοδομης ξυλινος*; Theodotio: *ἐνδεσμος*; Vulgata: *lignum, quod inter juncturas ædificiorum est*, aliique, quos Hieronymus et Theodoretus in commentariis ad hunc locum citant, fere similiter. Aquila, cæterum accuratus, quid spectans *μαζα* verterit, difficile dictu. Ingeniosa est conjectura Doederlini *), quod scripserit *και ἱμας ἐκ ξυλȣ*, cum *ἱμας* Græcis sit *συνδεσμος οικοδομης*, et *ἱμαντισμος* ab Hieronymo ad כפיס illustrandum adhibeatur, unde lapsu librariorum ortum sit *μαζα*. Ego certe invenio *ἱμαντωσιν* a Svida expositum: *δεσις ξυλων ἐμβαλλομενων ἐν τοις οικοδομησασι*, vel secundum emendationem Æmilii Porti: *ξυλον ἐμβαλλομενον ἐν τοις οικοδομημασιν προς δεσιν των τοιχων.*

II. 13. ויגעו עמים וגו Ut Habakuk ideas et figuras passim ab Esaia petiit, ita ejus vicissim sententias suas fecerunt poetæ, qvi ætate erant posteriores. Sic Jeremias 51, 58.

ויגעו עמים בדי ריק
ולאמים בדי אש ויעפו

Iuxta hanc recensionem forsan rectius legendum esset ויגעו, id quod svadet collectio variarum lectionum, quam ex commentario Raschii edidit Cel. Tychsen **). Res minoris est momenti, modo non legatur ויגעו.

עמים et לאמים voces quidem ejusdem potestatis, at posterius orationi sublimiori frequentius.

*) Auserlesene theol. Bibl. T. 2. p. 5.
**) Repertor. zur bibl. u. morgenl. Literatur P. I.

כרו Lxx ad vocem præcedentem ſine judicio traxerunt, vertentes λαοι ἱκανοι, ἐθνη πολλα. ויעפו iidem reddunt per ὠλιγοψυχησαν. ὀλιγοψυχεω igitur non modo ſignificat: *animo eſſe puſillo, demiſſo et abjecto,* ut exponitur a lexicographis, verum etiam: *currendo et laborando defatigari, feſtinando anhelare.* Ita fervor operis et anhelitus laboris, qui Iſraelitas impediebat, quo minus audirent Moſem, Alexandrino eſt ὀλιγοψυχια, quæ notio etiam ineſt verbo arab. وعف.

II. 14. על ובם Lxx Ed. Rom. et Cod. Alex. qvi vertunt αὐτȣς, lectionem aliam habuerunt, אתם vel עליהם. Ed. Aldina et Complutenſis legerunt tamen על ום vel את הום, quæ etiam eſt lectio Codicis 545 Deroſſiani. על poſt כסה non id, quo tegitur, ſed *rem tegendam* ſemper denotare, recte monuit L. de Dieu ad Mal. 2, 16.

II. 15. מספח חמתך Vulgarior verſio: *adhibendo lagenam tuam* nulli græcorum interpretum probatur. ספח, ar. سفح, *effundere,* unde سفاح, *qui ſangvinem effundit, tyrannus.* Hoc Symmachus ſpectavit, vertens ἀφιων, voce, ut in textu habetur, punctata; Aquila item et Theodotio, reddentes: ἐξ ἐκπεμψεως et ἀπο χυσεως, quibus tamen מ fuit præfixum nominis סְפַח. Alexandrinus, et Arabs veſtigiis ejus inſiſtens, vocem omnino diverſam, מִשְׁפַּח in animo habuiſſe videntur. Editio ἀνωνυμος ab Hieronymo citata, quæ habet ἀελλην, errore quodam dela-

ta eſt ad סופה. Qui ad vocem חמתך de *fæce*, aut *ira*, aut *veneno* cogitarunt, lingvam quidem ebraicam, non item ſeriem orationis conſuluerunt. Præcedentia משקה, et מספח, ſequensque שכר ſvadent vertendum: *vinum æſtuans*, calore, attributo vini, pro ipſo vino metaphorice poſito.

מעוריהם Alexandrinus, qui vertit σπηλαια, vocabulum aliud, ſcilicet מערה, in animo habuit. Rectius Aquila: γυμνωσιν, et Symmachus: αχημοσυνην. Demto colore poetico, quo gentes comparantur inebriatis, eadem paſſis, quæ ab Attalo Pauſanias (Juſtin. l. 9. c. 6.) ſenſus eſt, quod perfidi Chaldæi foederibus allicerent populos, quo eos, locis patentibus exploratis, facilius invaderent, ſubigerentque. Illud voce, quam *pudenda* vertimus, inſuper ſignificatur; hæc enim ſimul denotat *loca nuda*, *periculis bellorum maxime expoſita*. Arabum عورة et فرج eo ſenſu ſumi, autor eſt Schultenſius *). Quam quidem vim vocabulum non tam diſerte offert, ut fas eſſet vertendo eam exprimere, at lectorem olim, cui res ebræa non anguſtioribus illis pomoeriis conſtringebatur, eam ſuſpicatum fuiſſe, vero videtur ſimillimum.

II. 16. והערל Interpres Alexandrinus legens הרעל, literis transpoſitis, vertit καρδια σαλευθητι και σειϑητι. Alteram vocem gloſſam eſſe recentius additam, vel ex eo liquet, quod illam non habeat editio

*) De defectu hodiernæ lingvæ hebr. CCLXV.

Complutenſis. *Potus* et *calix*, de quibus antea ſermo fuit, interpretem in errorem duxit. Cogitavit סף רעל Zach. 12, 2. *calicem vertiginis*, ex quo poetæ Ebræorum homines inebriatos vacillare fingunt. Aquila, cum verterit καρωθητι, *ſopore, veterno obruitor*, certe legit הרעל, nam Pſ. 60, 5. reddidit תרעלה per καρωσιν. Vulgatus ſimiliter: *conſopire*.

קיקלון קלון non a קלל *levis fuit* derivandum, ut vulgo fit, ſed a קלה, قلي *verberibus urere*, unde in Niphal: *ſtigmate notari*. Schultenſius hinc קלון alicubi *inuſtionem*, *notam inuſtam*, *ſummum ignominiæ et infamiæ gradum* vertit. Noſtrum vero locum hunc ſenſum obtinere, docet vox adjecta קי, cujus Aleph excidit ob præcedens Jod.

II. 17. חמס Aquila vertit αἱμα. Conjectura Montefalconii, quod ſcripſerit αἱμας, vocem ebraicam literis græcis expreſſurus, non probabilis eſt, cum, hanc vocem ipſi non ignotam fuiſſe, ex aliis locis pateat, ubi verterit per ἀδικιαν, v. c. Prov. 10, 6. Vero ſimilior opinio illa Michaelis *) videtur, quod etymologiæ pro more ſuo intentus ſpectaverit thema arabicum خمش, *ſcalpſit, ungvibus vulneravit faciem*, unde خموش *culices*. Verſio Aquilæ nouum igitur argumentum eſt ſignificationis *cruentæ violentiæ*, quam voci חמס ſupra tribuimus, et quæ vel ex aliis locis abunde patet, in quibus חמס et דמים junctim venire amant, v. c. Gen. 49, 5. Pſ. 140, 2. 5. 12.

שד

*) Beurth. der Mittel die ausgeſt. hebr. Spr. zu verſtehen pag. 133.

שד Alexandrinus vertit voce generaliori ταλαιπωρια. Aquila, in originem curatius inquirens, transfert προνομη, nam شدّ Arabibus est *vastare incursando*, *rapiendo*, *spoliando*, quam notionem specialiorem exprimit quoque διαρπαγη Symmachi.

ותחיתן Si juxta Supplem. Michaelis etymon assumamus حوت *circumvolavit, imminuit capiti*, respondet præcedenti וכסך, et series evadit satis poetica. At plerique veterum de *terrore* cogitantes spectaverunt radicem חתת. Tum legendum fuisset ותחתן, quam lectionem svadent Codd. Kennicottiani 115 et 180. Poeta terminationem ן licentia poetica adjecisse, aut verbum ad formam paragogicam futuri arabici flexisse videtur, ut vox foret sonantior, aut metro accommodatior. Ita כושן poetice positum esse pro כוש III. 7. observavit Eichhornius *).

II. 18. מורה שקר Lxx, quos Arabs sequitur, cum vertant φαντασιαν ψευδη, vocem מורה deduxerunt ex ראה. Simonis sequitur etymologiam eandem in lexico; at vox rectius videtur deducenda ex ורה, ورى Arabum, unde Michaelis in Supplementis genealogiam variarum hujus verbi significationum constituit. Formula hæc eadem est ac מוסר הבלים Jer. 10, 8. Iidem in superioribus יצרו efferunt ut יצרו, vertentes ἐπλασεν αὐτο, id quod Cod. Barb. Ed. Compl. et Aldina ob præcedens ἐγλυψαν emendarunt in ἐπλασαν, verum, ut videtur, infelici studio,

 cum

*) Einl. in das A. T. P. 3.

cum utrumque potius in numero ſingulari ponendum fuiſſet.

II. 19. דומם non verto *tacens* ſed *immobilis*, quod epitheton *lapidi* accommodatius eſt. دام pro دوم Arabibus eſt *perſeverare*, *perſiſtere*, quo ſenſu דום accipitur Joſv. 10, 12. Alexandrinus legit רומם.

והא יורה Commentarius Raſchii jam citatus legit יורה *hoccine intelligeret?* at lectio maſoretica, qvæ ſenſum præbet commodum, et cum formula מורה שקר verſus præcedentis appoſite concinit, vix eſt rejicienda. Alexandrinus, licet aliter legerit, vertens: *και ἀυτο ἐςι φαντασια*, certe habuit ר, cum de verbo ראה cogitaverit.

וכל רוח אין בקרבו Aquila in verbis premendis putide diligens: *et ſpiritus ejus non eſt in medio ejus*. Alexandrinus, ut quidem intellexerit, קרב hoc loco valere *in*, non tamen effugit Ebraismum *παν ȣκ*, vertit enim: *και παν πνευμα ȣκ ἐςι ἐν ἀυτω*. At facit iſta prave vertendi ratio ad confirmandum textum maſoreticum, ſi cui, ob teſtimonium Hieronymi, qvo vocula *omnis* in quibusdam ebraicis voluminibus omiſſa eſſe perhibetur, כל recentius additum videretur.

II. 20. הס *ὀνωματοποιȣμενον* eſt, particulæ latinorum St! reſpondens. Si verbum eſſet, dicendum fuiſſet הסו, feminino ſequente. vid. Supplementa Michaelis.

III. 1.

III. 1. תפלה Quidam volunt hic legendum esse תהלה, cum potior capitis pars *hymnus* sit, non item *oratio*. Verum si vel maxime תפלה retinendum esset, rhythmus tamen, et sublimitas sententiarum, totaque carminis forma non permittit solum, sed postulat, ut ex nostro loquendi usu *hymnum* in versione ponamus. Nec etymologia huic interpretationi adversatur. פלל, فَلّ est *ominari*, *divinare*, *extra se rapi furore poetico*. Hoc sensu sumitur 1 Sam. 2, 1. Hannam enim non *precari*, sed in ecstasi constitutam *Deum celebrare*, ipsa carminis ratio docet.

חבקוק Alexandrinus Ἀμβακουμ, vel forsan rectius, ut est in Ed. Complutensi, Ἀμβακουκ. Græcos bibliorum interpretes et descriptores, cum textum ebraicum suis literis efferrent, pro ב μβ ponere solitos esse, jam observarunt, qui de vera literarum ebraicarum appellatione disputaverunt *).

על שגינות Symmachus et Quinta: ἐπι ἀγνοηματων vertentes, ad שגה vocem retulerunt. Eodem plane modo Vulgatus: *pro ignorantiis*, item Aquila: ὑπερ ἀγνοιας coll. Ps. 7, 1. Theodotio: ὑπερ των ἑκουσιασμων, quod Hieronymus interpretatur: *pro voluntariis, et pro his, qui sponte delinquunt.* Forsan hic interpres, lingvæ non peritissimus, vocem סוג aut aliam quandam similem in animo habuit. Alexandrinus,

*) v. Hornemanni Obs. de harmonia lingv. orient. C. 1. §. 2.

drinus et Septima loco huic accommodatius: *μετα ὠδης*, qui, ſive ſpectaverint Syrorum סְבוּוֹנוּא, *cantiones*, ſive Arabum سجع *ſimiliter deſinente voce*, vulgo *rhythmice locutus fuit*, unde سجع *oratio rhythmica*, et ipſe *rhythmus*, vel *ſimilis ultimarum ſyllabarum deſinentia*, modos et numeros indicare voluerunt.

III. 2. יהוה פעלך. פעל ſcilicet, de quo dictum eſt I. 5. פעל פעל בימיכם לא תאמינו כי יספר. Hoc ſtili eſt orientalis, ut in altero membro periodi demum ponant prædicatum cum novo ſuffixo, quod emphatice reddundat. Major inſolentia, at alius generis hæc eſt, cum ad emphaſin exprimendam in altero membro ponant ſubjectum, cujus ſuffixum in primo jam præmiſſum eſt. Exemplum vide Job. 24, 6.

בקרב שנים חייהו Omitto *duo animalia* aut *duplicem vitam*, quæ Lxx cum Euſebio et Theodoreto ignorantia lingvæ textui obtruſerunt. Aquila, vertens *ἐν τω ἐγγιζειν τα ἐτη ζωωσον ἀυτο*, legit בְּקָרֹב, quam lectionem Michaelis ob obſcuritatem formulæ *in medio annorum* adoptavit. Patet ex loco Alexandrini depravato, eum in verſione hæſiſſe, cum in priori membro legerit קָרֹב, in poſteriori vero קְרֹב. Ego punctationem maſoreticam præferendam exiſtimo, nec tamen vertendum: *in medio annorum*, quibus verbis ineſt ebraismus, ab Alexandrino et Theodotione male intellectus. בקרב Ebræis ſæpe idem valet ac præfi-

xum

xum ב. Ita בקרב הארץ notat *in terra*, cum paſſim occurrat in locis, ubi de *medio* nullo modo cogitandum. Aut forſan heic ſignificat *intra*. Tali modo Symmachus: ἐντος των ἐνιαυτων ἀναζωωσον ἀυτο. Scilicet poeta reſpexit חזון למועד *oraculum ad certum tempus limitatum*, de quo ſupra II. 3.

ברגז רחם תזכור Quod רגז non *iram* ſolum, ſed in genere *commotionem quamvis vehementem* denotet, Alexandrinus jam videtur indicaſſe, cum vertat ἐν τω ταραχθηναι την ψυχην μȣ; nam ἐν ὀργη, quod formulam exponit, deeſt in ed. Complutenſi. Neſcio, an poeta cogitaverit de *tonitru* in ſequentibus deſcripto, verbum enim arabicum رجز æque notat *tonuit*, *fragorem edidit tonitru*, ac رجس. Cum Ebræis tonitru ſignum eſſet *adventantis Dei*, notare poteſt *iram tonantis*, oppoſitum τω רחם.

III. 3. מתימן — מהר פרן Poeta, cum in eo eſt, ut adventum Dei magnificum ad Chaldæos puniendos depingat, vix initium invenire potuit illo ſublimius, deſcendere eum haud ſecus ac olim ad montana Seir, cujus Sinai, Theman et Pharan erant partes. Illuſtris hæcce apparitio maxima erat, quam Ebræi mente concipere poterant; ab ea imagines ſumere et vividius effingere ſolebant poetæ ſacri.

Theodotio quidem vertit ἀπο νοτȣ, et alius: ἀπο λιβος, ſpectantes ſitum regionis auſtralem; at Aquila, Symmachus et Quinta poſuerunt θαιμαν.

Omnes

Omnes ipſum ebraicum *Pharan* ſcribunt, excepto Alexandrino, qui addit *κατασκιȣ δασεος*, *denſis conſitus arboribus*. Cum פאר ſit *ornatus*, et quidem *ornamentum capitis* Ezech. 24, 17. unde transferatur ad *ramum*, quæ notio eſt פארה Eſ. 10, 33. neſcio, an interpres græcus hanc ideam expreſſerit libertate paraphraſtica.

ויבוא. בוא vocabulum *πολυσημαντον*, cum adventum omnis generis deſignet, hic pro re ſubſtrata expono per *deſcendere*. *Adventus*, *deſcenſus* Dei Ebræis eſt *tempeſtas cum cœli fragore*. Cum poetæ ſacri deſcribant *tonitru*, Jehovam *ad montes venire*, *in Sinai delatum eſſe* fingunt. Hanc illis ideam cum poetis romanis et græcis communem, ill. Herderus, quantumvis magno contendat opere, hos nunquam comparandos eſſe *), vix negaverit. Ita Virgilius:

Jupiter — — deſcendet pluribus imbri.

Ecl. 7, 60.

et Horatius:

Horrida tempeſtas cælum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem.

Epod. 13, 1.

Græci Jovem *κατηβατην* dicunt, cum fulmine deſcendentem. conf. Exod. 19, 18. Pſ. 18, 10. 144, 5.

קדוש — אלוה ſibi invicem reſpondent in parallelismo membrorum. קדוש verto *venerandum*, *auguſtum*, ut nomen Dei poeticum. Verbis dicam

Viri

*) Vom Geiſt der ebr. Poeſie. P. 1. p. 178.

Viri inter nostrates egregie docti: *Non simpliciter assentire possum Theologis, qui per hoc vocabulum, quoties de Deo prædicatur, sanctitatem naturæ internam et perfectionem voluntatis moralem, quæ in amore boni et mali odio consistat, designari putant. Latius saltem patere videtur sensus* קדוש; *si enim antiquissimam et primam notionem altius repetamus, locis collatis singulis V. T. in quibus de Deo prædicatur, haud ægre perspicitur significari: venerandam summi numinis majestatem, devotissimo cultu a creaturis ratione præditis prosequendam* *).

סלה Ex vasta silva conjecturarum, quas ad vocem difficiliorem illustrandam in medium protulerunt eruditi, illa depromenda videtur, quæ præfert *signum varietatis musicæ*, cum huic Alexandrinus, vertens διαψαλμα, nonnihil ponderis addiderit. Svidas vocem græcam interpretatur: *μελȣς ἐναλλαγη*, *cantus immutatio*, et Hesychius: *μȣσικȣ μελȣς ἠ ῥυθμȣ τροπης γινομενης, ἠ διανοιας και δυναμεως λογȣ ἐναλλαγη, quando cantus musici vel rhythmi mutatio sit, vel sensus et potentiæ sermonis vicissitudo.*

הוד Lxx reddunt per *ἀρετην*, quod vocabulum idem valere ac *δοξαν* Græcorum, Bielius **) ex scriptoribus

*) Olai Wormii Opusc. theol. philos. de notionibus vocum, quibus virtutes et vitia in N. T. designantur, accuratius determinandis. Havn. 1784. p. 13. vid. etiam Zachariæ Bibl. Theologie. P. 2. Præf.

**) Nov. Thesaur. phil. ad h. v. vide et Wormium jam citatum p. 18.

toribus ſacris et profanis ſtudio adeo felici confirmavit, ut dolendum ſit, quod vir eruditus non in locis multis aliis ſuo tantum conſilio, non æque Trommiano, uſus fuerit.

תהלה, ſi referatur ad هلّ, unde هلال *novilunium*, notionem accipit *ſplendoris*, qvo *fulmina* apposite deſignantur. Scriptoribus ebraicis, quibus alias hoc verbum eſt *inſanire*, certe habet ſignificatum *ſplendendi* duobus locis Job. 31, 26. 25, 5. *Splendor, majeſtas, gloria Jehovæ* deſcribunt tonitru et fulmina Exod. 16, 7. coll. 10. 24, 16. 17. Lxx, Aquila et Theodotio; cum vertant αἰνεσις, aliam ſequuntur notionem vocis هلّ, quæ quidem frequens eſt Ebræis, non vero rei deſcribendæ conſentanea.

III. 4. כאור Cum אור de *lumine* in genere et quavis re ſplendente uſurpatur, verto *ſicut ignis*, ut comparatio fulmini pingendo ſit adæquata. Non adverſatur φως Græcorum, quo ignis itidem deſignatur Marc. 14, 54. Luc. 22, 56.

קרנים מידו לו. Omnes interpretes græci, ſenſu vocis קרן errore turbato, manibus tonantis *cornua* tribuerunt. Mirum eſt, quod qui radices arabicas ubique ſectantur, non reſpexerint قرون pluralem vocis قرن, *radii ſolis*. Non tamen hæc interpretatio fugit interpretem Exodi, nam quæ de Moſe dicuntur 34, 29. קרן עור פניו recte transfert: δεδοξασαι ἡ ὀψις

ὄψις τȣ χρωματος τȣ προσοπȣ αὐτȣ. Verum Aquila, non æque ſeriei et nexui rerum ac etymologiæ intentus, notionem primam et frequentiorem præferendam duxit, vertens: *cornuta erat ſpecies vultus ejus.* Hieronymus, uſus auxilio Hexaplorum in verſione vulgata elaboranda, adoptavit *cornu* Aquilæ, verum tamen interpretatus eſt per *gravitatem* et *dignitatem faciei;* a quo infelici vocabulo, cum in medio ævo textus cederet verſioni vulgatæ, initium pictoribus Moſem ornandi cornibus repetendum eſt. Vid. Michaelis*). At Moſes cornutus non majus eſt monſtrum compoſitionis, quam manus tonantis cornibus armatæ.

ושם חביון עזה Græci legerunt ושם tantum non omnes, ſed Codices cum Maſoretis faciunt. Lxx, qui vertunt: και ἔθετο ἀγαπησιν, videntur confudiſſe nomen arabicum حُبّ, aut حبيب verbi حَبّ *amavit* cum alio خباء verbi خبا, *occultavit*, quod hic ſolum conferri debet. Aquila tamen transtulit: *et poſuit abſconſionem fortitudinis ſuæ,* et Symmachus: *et poſuit abſconditam fortitudinem ſuam.* Solus Theodotio vertit: *et ibi abſconſio fortitudinis ejus.*

III. 5. דבר non incongrue verteretur *aculeus, ſtimulus,* quo ſenſu videtur occurrere Hoſ. 13, 14. vel

*) Beurth. der Mittel, die ausgeſtorbene hebr. Sprache zu verſtehen. p. 273. ſq.

vel ſaltem a Paulo ſumtum eſſe 1 Cor. 15, 55. *) cum hæc ſignificatio apte quadraret in רשף parallelum, et utraque vox appoſite deſcriberet *fulmen*, ſi unus modo Græcorum conſentiret. Verum Lxx, Cod. Barb. et Anonymus vet. vertunt πτωσις, Symm. et Quinta *mors*, quæ notio, ex دبر Arabum deducta, contextui aptior eſt. Aquila: *peſtis*, quæ a deſcriptione fulminis aliena eſt, id quod in λογου interpretis Alexandrini multo magis convenit. Probat illa verſionum diverſitas, textum olim aut omnino non, aut certe non ubique punctis vocalibus adornatum fuiſſe. Hieronymus codicem ſuum punctis caruiſſe declarat, cum dicit ad h. l. *Pro eo, quod nos transtulimus* m o r t e m, *in hebræo tres literæ ſunt poſitæ* דבר *absque ulla vocali, quæ ſi legantur* d a b a r, v e r b u m *ſignificant*, *ſi* d e b e r, p e ſ t e m.

ויצא רשף לרגליו Interpretes græci voci רשף notionem *volandi* ſubjecerunt. Aquila vertit *volatile*; Symmachus, Theodotio et Quinta: *volucres*; Cod. Barb. et Anonymus vet. μεγιστα των πετεινων. Verum forſan ſpectaverunt etymon رشف, *in altum ſublatus eſt*, at notionem pravam inde deduxerunt. *Aves rapaces*, ſi vel maxime voce ebraica deſignentur aliis in locis, vix huic loco conveniunt, in quo, ut et in ſequentibus, tonitrua horrenda, terræ motus, vehementiores imbres, aquarumque exundationes, et quæ in gravis-

*) vid. Hilleri Onomaſticon S. p. 794. et Pocockium ad h. l.

gravissima tempestate accidere solent, coloribus magnificis et sublimibus, ut totidem symbola Jehovæ adventantis et evertendo Chaldæorum imperio imminentis, describuntur; quibus ergo descriptionibus nil incongruum, et ab illa cæli intempestate alienum inferendum est. Quando igitur Michaelis *) *aves rapaces* eo nomine defendit, quod eas pestis ad cadavera voranda allexerit, levi manu istas aves a tabula abigo, cum ne pestis quidem in hac imaginum serie locum habeat. Assaph Ps. 76, 4. vocem cum arcu connectit: רִשְׁפֵי־קָשֶׁת *alites arcus*, quæ formula, nisi sensu omnino destituta sit, veram notionem *sagittarum* exhibet. Eodem sensu sumitur Cant. 8, 6. in descriptione amoris: רְשָׁפֶיהָ רִשְׁפֵּי אֵשׁ *sagittæ ejus sagittæ ignitæ*. Lxx hoc loco vertunt per *περιπτερον*, quod licet Hesychius et Svidas aliter reddiderint, certe secundum originem notat *sagittam alatam*. Si jam quoque adjiciatur significatio *splendoris*, petita ex יֵצֵא proxime sequenti, collata radice يَضَاءَ pro وضا, *emicuit*, unde وضاءة *nitor*, nescio, an flos honosque sermonis figurati minus reluceat in voce רֶשֶׁף ac in בָּזָק, חָזִיז, אֵשׁ, לַפִּיד, גַּחֲלֵי אֵשׁ, פֶּחָם אֵשׁ, et quæ sunt cætera nomina fulminis poetica. Alexandrinus vertit mirum in modum: *και ἐξελευσεται ἐις πεδια κατα ποδας αυτȣ*. Absonum videtur, quod vox *camporum* toto cælo diversa fluxerit ex רֶשֶׁף. Nec tamen amplius in illa versionis insolentia hærebit, qui observaverit,

 quos-

*) Beurth. der Mittel. p. 298.

quosdam codices pro ἐις πεδια exhibere lectionem Editionis Aldinæ παιδειαν, et hos cæteris antiquiores fuiſſe vel ex eo patet, quod Arabs, veſtigiis ſemper inſiſtens Alexandrini, legerit ἐις παιδειαν. Theodoretus hanc exemplarium varietatem commemorat, et ſenſum lectionum pro genio ſeculi ſui exponit. Juvat ejus verba exſcribere, ut appareat, ne tantillum quidem lucis rei dubiæ inde affulſiſſe: Το ἐις παιδειαν, inquit, ἐνια των ἀντιγραφων μετα διφθογγȣ ἐχει, και δηλοι, ὡς και τοις ἐργοις και τοις λογοις ὁ των ὁλων Θεος ἐις παιδειαν των ἀνθρωπων και διδασκαλιαν κεχρηται. ἐνια δε ἀνευ τȣ διφθογγȣ, και σημαινει, ὁτι μετα πολλης της ἐυκολιας, ὡς ἐν ἱππηλατω πεδια, τρεχει τα πραγματα ταις προφητειαις ἀκολȣθȣντα. Ἐις πεδια haud dubie eſt corruptio verborum ἐις παιδειαν. Hoc vero iterum aut corruptio etiam dicendum, aut, quæ ingenioſa eſt conjectura Michaelis *), error ipſius interpretis, qui cum poteſtatem vocis רשף ignoraret, hoc conjiciendo reddiderit per vocabulum aliud reſpondens ad vocem ſuperioris hemiſtichii, quam, prave efferendo ut דָּבָר, transtulerat λογος.

III. 6. עמד וימדד ארץ Verſio Alexandrini interpretis Cod. Barberini: ϛας διεμετρησεν την γην, quam Cod. dictus vetuſtiſſimus ſequitur, induxit interpretum pleroſque, ut fingerent Jehovam terram Chaldæorum *dimetiri*, quo eam quantamcunque devaſtaret. Quæ ſententia, licet poetis ebraicis haud ſit infrequens,

*) Beurtheilung der Mittel. p. 302.

quens, non quadrat in descriptionem fulminis nondum absolutam. Verius et toti figurarum seriei convenientius vertunt Lxx cod. Rom. ἐσαλευθη ἡ γη, collato verbo Arabum ماد. Facit poeta tonantem sistere gradum magnificum, quo facto terram concuti, gentes contremiscere.

ראה ויתר גוים Per *adspectum Jehovæ* fulmina describuntur phrasi Ebræis solemni. Vide Gen. 4, 4. coll. Lev. 10, 23. 24. Orbi scilicet antiquo tonitru ab ipso Deo profectum et symbolum præsentis Dei habebatur. ראה in origine esse αὐγαζειν, *radiare*, observavit Schultensius *). נתר Syris Chaldæisque est *defluere*, *dissolvi*, quam significationem spectantes Lxx verterunt διετακη, vel, ut Ed. Aldina habet, ἐτακη. Notio *contremiscendi*, ex Arabismo petita, huic loco aptior videtur.

ויתפצצו הררי עד Lxx. ed. Rom. voce lectissima διεθρυβη verbum exprimunt ebraicum; illud enim, ut docuit Schultensius **), non cum פוץ *diffluere*, *dispergi*, confundendum, sed referendum ad فضّ Arabum, quod *fractionem* notat *cum dissipatione* et de montibus saxisque in primis dicitur, unde مفضّة *instrumentum glebis diffringendis disjiciendisque*. Hæc autem vocis διαθρυπτειν primigenia vis est. Ita Græci: αἱ πετραι διεθρυβησαν, διεθρυβησαν λιτοι etc. Alexandrinus pro עד videtur legisse עז, nisi vocula βια adjecta פצץ

*) Comment. in Prov. 23, 31.
**) Orig. c. 4.

curatius exprimere maluerit. Verum עד vix abjiciendum, cum montes Ebræis ſigna eſſent æternitatis, quod tempus edax rerum eos non comedere videbatur. Adhibentur itidem formulæ הררי עד, גבעת עולם in aliis locis ad diuturnum et grande quid exprimendum, v. c. Gen. 49, 6. Deut. 33, 15.

הליכות עולם Recentiores quidam, conferentes هلكة *exitium ingens*, thematis هلك, ſenſui hujus loci poetico vim inferre videntur. הליכות in bibliis ebraicis notat *inceſſus, itinera*, id quod ex locis Prov. 31, 27. Pſ. 68, 25. facile patet. Græci vocem hoc ſenſu accipiunt, vertentes *πορειαι αἰωνιαι, αἱ ὁδοι αἱ ἐξ ἀρχης*, quæ notio tantum abeſt, ut rei ſubſtratæ contradiceret, ut nulla potius hoc loco verior videatur. Scilicet Ebræis et toti orbi antiquiſſimo Deus montana habitare, in montibus incedere dicebatur, cum inde tonitrua per repercuſſum reddita audirentur vehementiora. Hinc cacumina montium Jovi conſecrata, et Olympus ſedes Diis deſtinata. Montes Sinai, Pharan et Baſan erant itinera, quibus poetæ Ebræorum tonantem fingunt incedere. Videatur Pſ. 68. הליכות עולם eſt igitur deſcriptio montium poetica, reſpondens formulis הררי עד et גבעת עולם præcedentibus.

III. 7. תחת און Lxx, qui vertunt *ἀντι κοπων*, videntur retuliſſe און ad אנן, أَنَّ *gemere*, ut eſt *κοπος* a *κοπτομαι*, aut forſan ad أَيِن *delaſſari*, cum verba med. Vau et med. geminatæ ſæpe confunduntur.

Com-

Complutensis etiam *ἀντι πονων*. Non est quod in ista orationis serie de *vanitate* cogitemus. Cum תחת sæpius valeat *pro, vice, loco,* quo sensu Græci reddunt per *ἀντι*, eo factum est, ut vocem iis etiam in locis retinuerint, in quibus voci ebraicæ nulla ejusmodi subest notio.

ויריעות Lxx Ed. rom. vertunt *αἱ σκηναι*, at Barberina *δεῤῥεις*, quo voce *cortinæ* et *véla tabernaculorum*, cum olim ex pellibus facta erant, apte designantur. An voci ebraicæ eadem notio subjicienda sit, difficile dictu.

III. 8. הבנהרים — אם וגו Lud. de Dieu, Dathius, aliique ה, cui in sequenti membro אם respondet, non interrogatione negativa positum esse volunt, sed affirmativa, ut sæpius הלא usurpatur. Mirandum est, quod summi viri non viderint, quantum ista observatione sermoni poetico detractum irent pulchritudinis. Lxx vertunt *μη ἐν ποταμοις ὠϱγισης κυϱιε; ἠ εν κ. τ. λ.* Fremitus maris fluminumque fervor tantus erat, ut poetæ stupenti ira Jehovæ in hæc sævire videretur, quare interrogat: An fluminibus, quæ culpa vacant, irasceris? יהוה non subjectum esse vocis חרה, sed per vocativum efferendum, jam monuerunt Lxx, qui vertunt *κυϱιε*. Videntur pro חרה legisse חָרִית. Interrogationis est orientalis et emphaticæ, ut prædicatum subjectis suis אפך et עברתך, in secundo tertioque periodi membro demum sequentibus, in primo præmittatur. עברה *excandescentia*, aut potius *impetus effusior*, qui *repagula omnia transcendit*,

hæc

(hæc enim vis est verbi עֶבֶר) quod ab Alexandrino apposite vertitur *ορμημα*, vel, ut habet Ed. Complutensis, *ορμη*, exponit metaphoram חרה אף. Sedes iræ *nasus*, unde illud Plautinum: *bilem in nasum concire*, et *fumans nasus ursi* apud Martialem.

כי תרכב וגו Particula כי, nisi ut كي Arabum vim exclamandi habeat, hoc sensu certe otiosa est. In verbis תרכב על סוסיך מרכבתיך imago recurrit antiqua Jehovæ tonantis Cherubim vecti, qua Ebræi celeritatem fulminis sonitumque tonitruum, haud secus ac Græci et Romani curru et equis, descripserunt. Patet ex Ps. 104, 3. 80, 2. Ezech. 1 et 10. Ps. 18, 11. Es. 66, 15. 16. tonanti Ebræos currum et animalia currui juncta tribuisse. Quibus figuris, cum Græci et Romani fere similes habeant, eadem cum his origo scilicet Ægyptiaca adscribenda videtur. כרוב vocem esse Ægyptiacam, et *ich-charabai* huic genti esse *spiritum tonitru*, autor est Forsterus, vir peregrinatione lingvarumque peritia celeber *). Occurrunt in locis dictis non quidem equi, at animalia membris undique collatis horrenda, qualia sphinges Ægyptiorum, de quibus Herodotus, cum fabulas græcas ex fonte derivet ægyptiaco, inquit: *τερατα πλεω σφιν ανευρηται ἡ τοισι αλλοισι ἁπασι ανθρωποισι* **). Nimirum gentes, quæ mythos ægyptiacos suos fecerunt,

eos

*) Jo. Reinh. Forsterus de bysso antiquorum Lond. 1776.

**) L. 2. c. 82.

eos pro indole, quæ ſingulis varia erat, et ingeniorum cultu transformarunt. Poeta ebræus, fervida præditus phantaſia, grandiumque et immanium amans imaginum, retinuit illa fictionum monſtra, quin novis membris additis reddidit immaniora. Græcus vero, cui ſenſus pulchri ſubtilior erat, vanis ſpeciebus ægræque phantaſiæ ſomniis imagines prætulit emendatiores. Quin picturæ tonitruum, figuras cæterum grandiores et ſublimiores poſcenti, demſit colores horridos, ut pes et caput uni redderentur formæ. Hinc, ſphingibus omiſſis, currui tonanti equos junxit, atque adeo Romanorum poetarum optimis deſcriptione vera et ſimplici præivit. At noſter, cum nihilo minus currum tonantem equis ornaverit, hoc data opera pro acuto, quo pollebat, judicio, feciſſe videtur. Cur poeta ebræus, cæteros elegantiâ ſtyli ſuperans, figuræ inſulſæ omnibusque Græcis improbatæ aptiorem prætuliſſe haud cenſendus ſit, ego certe non video.

ישׁועה recentiorum quidam vertunt *victoriam*, quæ ſi vera eſſet notio, non ex 2 Reg. 5, 1. deducenda, ut eſt in Lexico Schulzio-Coccejano, verum ad radicem وسع, eo ſcilicet ſenſu, quo opponitur τω ضاق, referenda videtur. Verum præfero ſignificationem *ſalutis*, conferens v. 13. Lxx: *ἡ ἱππασια σου σωτερια.*

III. 9. עריה תעור קשתך שבעות מטות אמר
In loco hoc difficillimo explicando non eſt, ut in opem vocemus interpretes græcos, quos recentiores, quot-

quot

quot versionem tanto poeta dignam meditarentur, deserere coacti sunt. Propius accedit Michaelis et Schnurrerus, quorum prior: *nudatus erectus est arcus tuus, sagittæ saturantur, bibunt sangvinem juxta promissionem*; posterior vero: *nudando excitatus est arcus tuus, satiata sunt tela, triumphus canitur.* Cum spectaverint græcum anonymum vertentem: ἐξεγερθη το τοξον σȣ, ἐχορτασας βολιδας της φαρετρας ἀυτȣ, miror, quod non cum eo legerint שִׂבַּעְתָּ, quæ lectio ab Houbigantio olim proposita confirmatur Codd. 7 Kennicotti. Utraque interpretatio displicet, quod apparatus ille bellicus rei describendæ, tonitribus scilicet et tempestati, omnino non respondet. Verto igitur: *Vehementi imbrium effusione obliterasti arcum tuum cælestem, illam sanctionem, quæ demittit promissionem.* Cui interpretationi, cum a Dathio aliisque, eum aut sequentibns aut refutantibus, satis ex arabica lingva probata sit, hoc adjiciendum habeo: עור, عور, radici vocis תעור competere notionem *obliterandi, delendi;* שבעות, cum poesis adfectet pluralia, positum esse pro שבועה, idemque valere ac אות ברית Gen. 9, 13. Nam promissio, qua terram nunquam inundatione vastatum iri designaretur, et cujus symbolum iris esset, ut foedus solemne et jusjurandum hominibus factum describitur. Addo, nomen אמר notare quidem *promissionem*, illud vero non effici ex loco Ps. 68, 12. in quo נתן אמר potius est *imperare*, *summæ rerum præesse*, verum ex usu loquendi, secundum quem אמר, ut أمر Arabum et דבר Ebræorum, de

promis-

promiſſionibus, *præceptis*, *minis*, omnibusque quæ dicuntur, intelligendum. Ut locus hac interpretatione cum cæteris deſcriptionibus melius connectitur, ita quoque magis poeticus redditur. Superiorum imaginum Habacucus alias Eſaiæ, Davidi alias debuit, illa vero, quod vehementia tempeſtatis imbriumque metum novi diluvii hominibus injiceret, ipſi propria eſt, et fictionum omnium venæ benignioris pulcherrima.

Membrum הרות תבקע ארץ, quod a v. 9. divellendum et numerus poeticus et contexta ſeries disſvadent, ſatis probat, non apparatum bellicum et arma Iſraelitarum victricia dicta eſſe in præcedentibus; nam terra fiſſa edens flumina i. e. fluminum mariumque, ut in graviſſimis nimbis et terræ motibus fieri ſolet, exæſtuatio iridem quaſi obliteravit, aut ſpem ex ea conceptam delevit.

III. 10. ראוך יחילו הרים Græci חול in locis tantum non omnibus reddentes per ὠδίνειν, voci ebraicæ ſignificationem *doloris parturientis* nec primariam, nec ubique ſatis congruam ſubjecerunt. Nec deſunt tamen loca, quæ probant Græcos non ubivis temere de *partu acerbo* cogitaſſe v. c. Eſ. 45, 10. 66, 8. Mich. 4, 10. *Motum* montium, quæ prima verbi ebraici vis eſt, heic loci ſuſpicor, at motum, ut fert proſopopoeia ſublimior, per metum Dei adventantis expono. Dubito, quid Lxx ſpectantes reddiderint הרים per λαοί. Hic non videntur legiſſe הגוים vel

vel עמו▭, quorum posterius haud raro pro דמו▭ aut vocibus similibus in versione posuerunt. An interpres græcus, sermonis poetici imperitus, cum absurdum illi videretur, montibus in textu visum tribui, et dolorem parturientis, vocem aliam aptiorem substituisse censendus est? Ita certe qui vertit ויחרד כל ההר מאד Exod. 19, 18. cum non viderit quomodo mons Sinai dici posset *timere*, חרד etiam *tremorem motumque* notare nesciens, reddidit: ἐξεστη πας ὁ λαος σφοδρα. זר▭ græcus Anonymus bene reddidit: ἐξαισιος ὀμβρος, *imber mensuram excedens*. Alexandrinus vocem ad זרח retulit.

תהו▭ Ebræis nomen esse poeticum, *superficiem maris fluctuantem* notans, bene monuit Michaelis *), qui radicem exhibuit هَوَم *fluere*, unde *oræ maritimæ* Arabibus تَهَايِم frequenter dicuntur. Vulgarem notionem: *locum maris fundo carentem, infinitæ profunditatis voraginem*, sensum passim turbare, exemplum est Deut. 8, 7. cum Moses Palæstinam hoc temere commendavisset, quod haberet תהומות, nisi apposita נחלי מי▭ et עינות vocem exponerent. Nec ἀβυσσος Alexandrini aliter accipiendum, docet Svidas, qui interpretatur: ὑδατων πληθος πολυ.

רום ידיהו נשא verto: *littoribus in altum sublatis*. ידי▭ reddere solent per *manus*. Tum fluctus vati manus essent supplicantes, futurum deprecantes exitium. Quæ figura, licet sit sublimis, non item vera dicenda et subtilis. Poetæ quidem orientales hyperbolas

*) Orient. u. exeg. Bibl. Th. 17.

perbolas apud recentiores non ferendas audent feliciter, verum ab emendatiori ſtylo Habacuci vix ille tumor orationis ſperandus. Alexandrino locus errore turbatus eſt, נשׂא cum verſu ſequenti copulato.

III. 11. שמש ירח וגו׳ Produnt ignorantiam linguæ ebrææ et ſermonis poetici, qui ex hiſce verbis veritatem miraculi Joſv. 10, 12. 13. dicti probare conantur. Quin ſententiam poeticam utroque loco eandem eſſe, illud quosdam exploratius quam pro re habere exiſtimo. Cum Michaelis *), verbo דום conciliaturus notionem *perſiſtendi*, quam alias ſatis probatam adoptavi Hab. 2, 19. hoc inde effectum eſſe cenſet, quod in noſtro loco עמד poſitum fuerit pro דום apud Joſvam obvio, Viro b. non in mentem venit, *ſolem et lunam in ſede ſua ſubſiſtentes* et *ſol lunaque curſum ſiſtentes* ſententias eſſe toto cælo diverſas. In loco Joſvæ ſol lucet ſolito diutius, at in noſtro non lucet, fulmine ejus vice fungente. Joſua diem productum, at noſter noctem horrendam, aut certe diem tenebricoſæ nocti ſimilem, poetice deſcribit. Verum ex vocibus שמש et ירח utrobique occurrentibus vix quidam ſimilitatem locorum demonſtraverit.

זבלה idem valet ac אהל, quod David ſoli tribuit Pſ. 19, 5. Alexandrinus de *loco conſtituto* cogitavit, libere vertens: *ἐν τῃ ταξει αὐτης*. Interpretes græci alibi notionem *honoris, gloriæ*, voci זבל ſubjeciſſe

*) Supplem. ad L. H. N. 455. Videatur hoc de loco Schnurreri Diſſ. philol. ad carmen Habacuci. Cap. III.

ciſſe videntur. Ita Symmachus in loco difficillimo Pſ. 49, 15. vertit per *οικησιν εντιμον*, et Lxx per *δοξαν*, niſi *δοξα*, ut conjicit Doederlinus *), ſit corrupta lectio vocis *ταξις*, per quam alias vocem ebraicam reddere ſolent.

לאור חציך יהלכו verto: *ſagittæ tuæ ferebantur, progrediebantur loco luminis*. Ita Lxx: *εις φως βολιδες σου πορευσονται*. חץ eſt ſynonymum vocis רשף v. 5. In locum ſolis, qui ſubſtitit in tentorio, ſuccedebant ſagittæ tuæ, h. e. ſplendor fulminis pellebat tenebras noctis.

לנגה ברק חניתך *loco ſplendoris fulgur haſtæ tuæ* aut potius: *haſtarum tuarum*, cum Lxx meliori lectione חניתיך præierint, vertentes: *εις φεγγος αστραπης οπλων σου*. Qui hanc *ſplendoris* vocem ad lunam, et alteram præcedentem ad ſolem trahunt, dimenſionem nimis accuratam et argutam parallelismo ſententiarum obtrudunt. נגה proprie notat *ſplendorem ſolis orientis*, *auroram*. نجه Arabum idem valet ac طلع, *emicuit ſol oriens*. Fulmen, *haſta*, *ſagitta*, *gladius* dicitur a fulgore. Arabibus חרב eſt omne acutum in genere, et חנות, حنية *omne curvum* aut *curvabile*; hæc alia ratio comparationis.

III. 12. בזעם תצעד וגו *Valde iratus magnifice incedebas* etc. contradictio eſſe videtur in adjecto. Verbo

*) Auserleſ. theol. Bibl. P. 1. faſcic. 12.

Verbo צער notio tamen ſubeſt *greſſus grandioris, magnifici.* Jud. 5, 4. adhibetur de *tonante magnifice procedente*, quæ figura Deboræ recurrit Pſ. 68, 8. At Alexandrinus, vertens ὀλιγώσεις, legit תצער, *imminues*, quam lectionem, ab Arabe et Codd. nonnullis Kennicotti et De-Roſſii confirmatam, contexta ſeries et parallelismus membrorum ſvadet aſſumendam. Quadrat in formulam תדוש גוים, et præparat hanc ideam, quæ, ut apud recentiores poetas ob inſolentiam et atrocitatem imaginis diſpliceret, Ebræis tamen, ſi cogitemus modum triturandi Orientalibus úſitatum, et jus inde receptum militare crudeliſſimum, cujus exempla exſtant Deut. 8, 7. 16. 2 Sam. 12, 21. figura eſt ad rem exprimendam accommodatiſſima. Poeta igitur per תצער ארץ et תדוש גוים aut eandem ſententiam expreſſit, membrum prius obſcurius tropo uſitatiore et faciliore illuſtrans, quo ſenſu ארץ, ut ſæpius, pro אנשי ארץ vel ישביה poſitum fuiſſet; aut, quod nexui figurarum tabulæ totius convenientius videtur, voce צער ſpectavit everſionem terræ motus, quo terra finditur et comminuitur, eaque ſententiæ ſublimioris a trituratione petitæ commonefactus eſt. Currus tonans poetæ tribulum eſt, gravibus tabulis conſtructum, et lapidibus vel ferro ſubtus aſperatum, vel ploſtellum rotis ſive axibus ferreis et dentatis inſtructum, quo Jehova Chaldæos comminuit. Lxx תדוש גוים vertunt κατάξεις ἔθνη: hæc Hieronymus: *detrahes gentes;* ob quam verſionem Cappellus eum imperitiam lingvæ græcæ exprobrat, quod neſciverit καταγνύειν verten-

vertendum esse: *frangere*. Recte quidem Hieronymus vertit κατάξεις verbi καταγω per *detrahes*, at rectius fecisset, si textum emendasset in κατεάξεις, unde ε atticum lapsu scribentis excidit. Codex Barberinus et Anonymus vetus curatius: ἀλοησεις.

III. 13. משיחך — יצאת Notio *splendoris*, quæ verbo יצא in descriptionibus tonitruum subest, huic tanquam loco suo asservanda: *splendide egrediebaris in salutem populi tui, in salutem* (populi) *tibi consecrati*. Lxx, Aquila, Symmachus, Theodotio, Quinta, Sexta, Græci tantum non omnes, reddiderunt משיח per χριςος. Nec tamen inde seqitur, omnes de Messia cogitasse. Quibusdam forsan adjectivum fuit, *unctus, consecratus, electus*, ut משיח Ebræorum. Unus saltem, Codex scilicet Barberinus, vertit ῥυσασθαι τȣς ἐκλεκτȣς. Legit ergo pluralem משיחיך, quam lectionem quoque MS. Alexandrinum, Anonymus vet. Codd. Kennicottiani 4 et Derossianus unus exhibent. Quoniam vero antiquiorum plures sequuntur textum masoreticum, cum hoc singularem, voci parallelæ עמך melius respondentem, præfero. Codd. nonnulli Derossiani habent לישע משיחך, omisso את, quo sensus passim in versionibus græcis turbatus est.

מחצת ראש מבות רשע Poeta descriptionem tonitruum persequitur: *percutiebas culmen domus injusti*, verba ubique seligens ad rem exprimendam accommodatissima. מחץ onomatopoeticum in Arabismo notionem præbet *fulminis*; hinc مماحص *micans ful-*

men.

men, et ܡܙܠܓܐܢ *nitens fulgensque cuspis*, fulminis imago. Quam vim, licet in versione omiserim, ne perquam etymologicus censerer, nescio an olim, cum latiora rei ebrææ essent pomoeria, lector eam suspicatus fuerit. Quid cogitaverint aut legerint Lxx, vertentes: *βαλεις* (aut ut habet MS. Alex. *ἔβαλας*) *θανατον ἐις κεφαλας ἀνομων*, non video. At Codex Barb. legit מחצת, vertens: *κατεσκευσας*. מבית. Lxx, nisi legerint מות, omiserunt cum binis Codd. Derossianis, forsan quod a voce præcedente ראש iis alienum videbatur. Hoc vero cum non *caput* solum, sed etiam *culmen*, *fastigium* notat, textus masoreticus sensum fundit satis commodum.

ערות יסוד עד צואר forsan est formula proverbialis hujus tenoris: summa et ima demolitus est. Ita Es. 8, 8. de aquis Euphratis dicitur, quod inundantes ad collum usque terræ Judaicæ procederent. Cum vero nostro loco phrasis sit insolentior, inter monstra comparationum orientalium, quas nunquam tentarent recentiores, numeranda, præfero lectionem צור a Cappello propositam, ut poeta sibi constet, et qualis ab incepto fuerit, ad imum servetur emendatissimus. Verto igitur: *denudando fundamentum ad infimum usque lapidem*, de quo Michaelis *) appositam habet observationem hic conferendam. Theodotio vertit: *ornasti fundamentum usque ad collum*, legit ergo עָדוֹתָ verbi עדה. Alexandrinus etiam, si vel lectionem nostram habuerit, extulit עָרוֹתָ. At Quinta verbum

*) Deutsche Uebers. des A. T. P. XI. ad h. l.

verbum ערה manifeſte reſpexit, cum in verſione ſua: *denudaſti ſive evacuaſti fundamentum usque ad collum* utramque vocis ebraicæ ſignificationem poſuerit.

III. 14. נקבת במטיו ראש פרזו Interpretes veteres, quantum inter ſe, tantum a textu ebraico diſtant. Juvat ex recentiorum penu depromere verſionem Dathianam, adminiculum noſtratibus in prophetis exponendis familiariſſimum. Sermonem eſſe dicit Vir b. de Arbace Medorum et Beleſi Babyloniorum ſatrapis, qui a Sardanapalo Aſſyriorum rege defecerant, et Niniven oppugnabant. Cum מטה notet *ſceptrum*, inſigne principis, hoc pro ipſo principe figurate poſitum exiſtimat, adeo ut במטיו ſit *per principes ejus*. פרז vero *pagum*, et ראש פרזו *pagum primarium* dicit, et Niniven hoc nomine appellatum propter amplitudinem, propter hortos et loca non habitata ab hominibus, perhibet. Affixum τ8 פרזו et τ8 מטיו refert ad ראש verſus præcedentis, *principem familiæ impiæ*, qui eſt Sardanapalus. At caput pagorum ſ. metropolis et ſceptrum pro principe poſitum conſvetudini ſermonis, ac hiſtoricum illud minutumque interpretationis genus rationi prophetiæ biblicæ contradicere videtur. Sequor ergo hoc loco, ut huc illuc in præcedentibus, autorem anonymum, quem Dathe citavit, non vero ſecutus eſt *). Hic voci פרז notionem *principis, imperatoris* tribuit ex radice فرز, quæ non ſolum vim offert *ſegregandi*, *diſcernendi*, unde vox

pagus

*) Habakuk, vates olim hebræus, imprimis ipſius hymnus, denuo illuſtratus. Francof. et Lipſ. 1777.

pagus, sed etiam *modum præscribendi, statuendi pro sententia.* Addo, quod Lxx hoc loco verterint per δυναςων, et Jud. 5, 7. 11. פרזון ex فرز oriundum per δυνατοι. Verbo נקב cum eodem autore significationem *percutiendi* tribuo, et verto: *percutiebas ipsis suis sceptris capita principum eorum* i. e. eos omni nocendi vi privatos tanquam victor inclementer tractas. Quæ victoriæ descriptio vaga est et generalis, nihil certi præter cladem Chaldæorum constituens, figura a more, quo victores hujus seculi victos excipere solebant, desumta. Alexandrinus, vertens ἐν ἐκτασει (coll. Ezech. 17, 3. Rom. ed. a Lamb. Bosio ad veram lectionem confirmandam citato *) haud dubie nomen singulare legit. Etiam Codd. 4 Kennicotti et De Rossii exhibent במטו, et alius quintus suffixum plurale יו in parte superiori rasum; ad quam lectionem eos ablego, quibus anomalia במטיו pro במטותיו positi tanti est, ut ob eam a textu masoretico recedant.

וסערו להפיצני עליצתם וגו *qui invadebant me turbinis instar, ut me dispergerent.* Codd. bini Kennicottiani habent וישערו, at סער Ebræi scripserunt et litera ס et שׂ, quarum utraque exprimit س verbi arabici سعر. להפיצני Aquila recte vertit τȣ διασκορπισαι et Symmachus: σκορπισαι; quid vero Lxx spectantes, hoc cum sequenti עליצתם copulaverint vertendo: διανοιξȣσι χαλινȣς αυτων, sive, ut fert opinio Cappelli, retinuerint vocem ebraicam *Galisutom*, quod

 postea

*) Prolegom. in Lxx. c. 3.

postea librariorum incuria mutatum in χαλινοὺς αὐτῶν; sive, ut opinatur Lambertus Bos, pro עלוצות legerint חלוצות, quæ vox *vestes* et *exuvias* significat, difficile dictu. Lxx, si posterior vere dixerit, posuissent in versione χλαίνας, *lænas*, quod a librariis corruptum est in χαλινοὺς. Idem observavit, phrasin διανοίγειν χλαίνας eandem esse ac illam χιτῶνα ἀνοίγειν apud Achillem Tatium. De voce ἡνία, per quam ἄλλος reddiderit עלוצות, hic quoque quærendum, utrum κατορθοῦν, quo Alexandrinus semel (Prov. 2, 10.) verterit עלץ, mentionem *habenæ* injecerit, ut conjicit Cappellus, an vero corruptio sit lectionis χλαῖνα, quæ est conjectura Doederlini *).

Michaelis formulæ tropicæ: *turbinis instar irruebant* et *exsultabant infirmiorem quasi devorare* male sibi congruere videntur. At poeta in ecstasi constitutus cumulat imagines, una e turbine, altera e leone petita, quæ oppressorem violentum tam graphice designant, ac velut oculis adspiciendum tradunt, ut nihil exsuperantius concipi queat. Voces: *in latibulo* additæ sunt ornatus gratia ad imaginem leonis, quæ instituí cæperat, absolvendam, nec violentiæ Chaldæorum apertæ et publicæ repugnant. Qui poemata Ebræorum vel summis labris degustaverit, facile meminerit descriptionum, quæ figuras usque adeo cumulant miscentque, ut una alteram interrumpere videatur. Ita Ps. 10, 8. 9. imago venatoris, a verbis וחטף עני incipiens,

*) Auserles. theol. Bibl. P. 2. fascic. 5.

cipiens, alteram a leone petitam, fusiusque ornatam subito interrumpit.

III. 15. דרכת בים סוסיך וגו Poeta figuras omnes præcedentes sublimi hac imagine concludit: *Jehova equis tonantibus terram calcat hostium inundatam et devastatam.* Vindex licet Babylonem petat, non est quod per *aquam* Euphratem præterlabentem aut inundationem Euphratis cogitemus, cum imbres et fluvii, terræ motu exæstuantes, satis aquarum suppeditent. Codex Barberinus περιφραζει: ἐταραχθη τα ἐξαισια ὑδατα της ἀβυσσȣ. חמר, خمر involvit notionem *conturbationis aquæ*, *commixtionis lutosæ.*

III. 16. שמעתי ותרגז וגו Interpretes initium hujus versus referre solent ad oraculum, quod ad primas querelas acceperat propheta de calamitate a Chaldæis prius suæ genti inferenda. Nexum quidem sententiarum stricte servatum esse hoc loco, in quo hymnus in elegiam inclinat, non sperandum, at transitus adeo durus et improvisus neque bono poetæ tribuendus. Voces commotiores, quibus Habacucus tremorem suum describit, tonitru et tempestatem ante adumbratam respicere videntur. Quæ licet cladem oppressoribus, rem igitur prophetæ, civibus bene cupienti, gratam portenderet, eum tamen, cum fragor cæli adeo immensus esset, horrore perfundit. At vocibus אשר אנוח ליום צרה revocat ea in mentem, quæ ab oraculo dicta erant II. 3. אם יתמהמה חכה לו. Poetæ tremebundo salus a tempestate civibus speranda occur-

 rit,

rit, at ſpem vixdum conceptam illa exſpectationis et patientiæ admonitio intercipit. Ea calamitatis prius civibus a Chaldæis inferendæ admonetur, et hanc mox flebilibus elegiæ coloribus depingit. Verſum ita verto: *Audivi, commovetur corpus meum; ad vocem tonantis palpitant labia; oſſa debilitantur, et quoad inferiorem partem totus tremo; at mihi tamen quieto exſpectandus dies calamitoſus, quo aſcendat populus et nos turmatim invadat.* Codex Barb. et Anon. vetus, qui habent ἐταξαμεν, aut ſcripſerunt ἐταραξαμέν, aut pro שמעתי legerunt שמתי, ſubaudita voce καρδια; quæ nonnunquam additur. cfr. Job. 36, 13.

בטן ותרגז בטני לקול et κοιλια Alexandrini inſulſæ verſioni bibliorum vernaculorum anſam dederunt, cum tamen vox ebraica ſæpius ipſum *corpus*, *cor* etc. ſignificet. Anonymus græcus vertit ἡ καρδια μȣ. *Fragor tonitru*, quæ notio voci רגז olim propria (vid. III. 2.) aut ſaltem Ebræis haud ignorata fuit, oſtendit, qualis fuerit commotio deſcripta. קול, *vox Jehovæ*, nomen tonitru poeticum, ut אמרת יהוה.

צללו שפתי Onomatopoeticum צלל notat *motum tremulum, tinnientem*, ut Arabum صلّ, unde صلصل, *fragor tonitru.* Interpretes, qui in notione *tinniendi* hærebant, locum obſcurum reddiderunt, cum labia non *tinnire*, at *palpitare, trepido ſono collidi* dicimus. Lxx, qui poſuerunt προσευχην, vocem arabicam صلاة vel صلوة in mente habuiſſe videntur, cujus verbum صلى reddiderunt per προσευχεσθαι.

יבוא רקב בעצמי. Præcedens ותרגז et ſubſequens ארגז videntur Alexandrinum, Barberinum, Anonymum veterem, Arabem, Chaldæum, Syrum, et Codicem Regiomantanum poſteriorem, ad רגז pro רקב legendum impuliſſe. Verum tautologiam iſta lectione intulerunt, vix ferendam. Objecerit forſan aliquis, figuram *putredinis* et humilem eſſe, et poetæ emendatiori parum convenientem, cum nemo, deſcribens terrorem tonitru ſibi incuſſum, oſſa putreſcere dicat. At idem ſuas eſſe linguæ cuique, ſeculo cuique imagines, nec quod formula quædam nobis inſolens aut plebeja videtur, inde ſequi, ut eadem Ebræis diſplicuerit, iis vero, qui antiqua poemata transferunt, in locis ejusmodi non verba anxie premenda, verum ſeriei rerum et genio autoris nonnihil tribuendum eſſe, facile concedet. רקב עצמות, רקב tropus Ebræis frequens eſt. Ita Salomoni uxor iracunda *putredo* eſt in *oſſibus mariti*. Prov. 12, 4. C. 14, 30. eadem formula de *invidia* adhibetur. Comparatio putredinis Ebræis adeo non humilis fuit, ut Hoſeas c. 6, 12. ipſum Deum רקב לבית יהודה dixerit.

ותחתי ארגז Lxx, cum vertant: *και ὑποκατωθεν μȣ εταραχθη ἡ ἑξις μȣ*, videntur אשר ſequentis membri ad hoc retuliſſe, et legiſſe ותחתי תרגז אשר, tribuentes *τω* אש notionem *fundamenti*, quæ voci arabicæ أُسُسٌ, pro أُسٌّ adhibitæ, competit, cujus verbum أُسيس Ebræi in Hithpael uſurpant.

Symmachus et Theodotio itidem. Arabs ſignificationem *fortitudinis*, ſub eadem voce aſſervatam, prætulit.

וגרדנו. Lego ונגרנו, ſignificatione verbi גרר adoptata, in quam Codd. bini Kennicottiani et verſiones omnes antiquæ concinunt, ſi exceperis Alexandrinum, qui, cum vertat παροικια, aliter, neſcio an מגורו, legerit.

III. 17. כי valet Ah! ut arabicum كي ſæpius. Elegidium deſcriptionis terræ ab hoſtibus devaſtatæ ſvaviſſimum ab exclamatione appoſite incipit.

כחש מעשה זית *fallit opus oleæ, mentitur fructus ſpem agricolæ.* Græcus anonymus: ἡ ἐλαια ἐξιτηλος ἐϛαι, verum Lxx curatius: ψευσεται ἐργον ἐλαιας. Nam illa metaphora omnibus lingvis communis eſt. Horatius eandem habet in odis, at figuris audacioribus ornatam:

Fundus mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquos.

עשה אכל Alexandrinus exprimit phraſi ſimili: ποιειν βρωσιν, quam tamen nihilo magis ac aliam: ποιειν καρπον, ſcriptoribus N. T. frequentem, Ebraismum dixerim; nam Euripidi καρποποιος eſt epithetum Cereris.

גזר ממכלה צאן Lxx vertunt: ἐξελιπεν ἀπο βρωσεως προβατα, legentes ממאכל, at Cod. Barb. et Anonymus vet. habent μανδρα, quæ vox græca non, ut opinatur Cappellus, per *greges pecorum* reddenda, ſed per *ſeptum*, *caulam*, *ſtabulum*.

ברפתים

במרפתים Verſiones græcæ, quæ ſuperſunt, tantum non omnes habent ἐπι φατναις, quas ſecutus verto: *ad præſepia*, κακοφωνιαν repetitionis *ſtabuli* evitaturus. Nec ſignificatio *ſtabuli* niſi autoritate Kimchii cæterorumque Talmudicorum nititur. Codex Alexandrinus ſolus habet ἐξιλασεως αὐτων, id quod ex gloſſa marginali in textum ſine judicio recepiſſe videtur.

Jam poetæ inter lamentationem occurrit poena Chaldæorum et ſalus civium oraculo prænunciata, qua mens dejecta tanquam lætiori idea confirmata in laudes Jehovæ effunditur.

III. 19. יהוה אדני חילו Sententiam ebraicam fortem et nervoſam Cod. Barberinus paraphraſi ſua debilitat: *κυριος ὁ θεος με ἐδωκε μοι ἰσχυν*. Ed. romana concinnius: *κυριος ὁ θεος δυναμις με*. Simile illud dictum Euripidis *): *Ζευς με συμμαχος, ὀ φοβεμαι*, cfr. Pſ. 27, 1.

וישם רגלי כאילות Si vel maxime qui vertunt ἐις συντελειαν, aliam vocem כלון ſpectaverint, alius certe Græcorum, qui reddidit per ἀσφαλεις, vocem textus legiſſe videtur, at extuliſſe ut בְּאֵיָלוּת *in robur.* Series orationis de pedibus cervinis, imagine Ebræis ſolemni, hoc loco cogitandum ſvadet. Membro præcedenti: *Jehova mihi in bello aderit* hoc reſpondet: *heroem me faciet;* illud enim deſignatur *celeritate pedum*, quæ in maximis heroum virtutibus olim ponebatur. Confirmatur hoc membro ſequenti: על במותי ודרכני,

*) *Heracl.* v. 706.

וּדרכני, quod, ſi per *colles* regionem Judæorum montoſam intelligamus, et conferamus formulas haud diverſas: וירכבהו על במותי ארץ et ואתה על במותימו הדרך Deut. 32, 13. 33, 29. ſenſum hunc præbebit: *me ad terram patriam recuperandam adjuvabit.* Juvat adponere locum Pſ. 18, 34.

משוה רגלי כאילות
ועל במתי יעמידני

qui etiam exſtat in ſecunda hujus Pſalmi recenſione 2 Sam. 22, 34. Cum felicitas reſtituenda vix melius deſcribi potuiſſet, non ea eſt affectatio noſtri, ut imagines pulcherrimas omittere, quam alteri debere maluiſſet; verum, ut veri eſt poetæ, ſummam rerum retinet, in verbis non anxie hærens, et aliena, cum in ſua transfert, reddit concinniora. David incipit a verbo שוה, at שום Habacuci fortius eſt; nec voce יעמידני inconcuſſa illa inceſſus firmitas, quæ alteri ודרכני ſubeſt, apte exprimitur. Codd. 10 Kennicottiani et Deroſſiani exhibent lectionem ויעמידני, quam tamen emendatione librariorum ex dicto Pſalmorum loco profectam eſſe credimus.

Corrigenda.

Pag.	2.	Lin.	22.	lege	*iſtam.*
—	19.	—	4.	—	*metaphorice.*
—	26.	—	2.	—	*et Arabum* فاج.
—	37.	—	8.	—	לא.
—	39.	—	12.	—	חרם.
—	42.	—	4.	—	*τρεχῃ.* קורא.
—	—	—	26.	—	ולא.
—	49.	—	9.	—	*propoſitam.*
—	58.	—	13.	—	*redundat.*
—	59.	—	11.	—	*ταραχθηναι.*
—	69.	—	3.	—	תחת.
—	—	—	9.	—	*qua.*
—	76.	—	23.	—	חרב.
—	78.	—	13.	—	*ſequitur.*

ORDINIS THEOLOGORVM

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

DECANVS ET BRABEVTA

D. THEOPH. JAC. PLANCK

THEOL. PROF. PRIMAR. REGI A CONS. ECCL.

VIRI CLARISSIMI

AC SVMME REVERENDI

FRIDERICI PLUM

ECCLESIAE CRVCISORANAE IN SIELANDIA PASTORIS

ATQVE ANTISTITIS PRIMARII

INAVGVRATIONIS DOCTORALIS

SOLEMNIA

MORE SOLITO INDICAT.

Praemissa brevis disquisitio

de primis gubernationis dioecesanae initiis.

GOTTINGAE

TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

Etsi egregie quidem falli nobis, vel fallere etiam videantur, quicunque in noua Gallicanae ecclesiae constitutione primaeuam gubernationis ecclesiasticae formam adumbratam, quin ad vnguem penitus expressam esse contendunt; vix tamen aequum aliquem nullis partium studiis corruptum satisque doctum arbitrum impetrare a se posse existimamus, quin libere pronunciet, nouum Gallicanae ecclesiae statum propius longe ad antiquum illum et primaeuum accedere, quam eum, qui ante rerum conuersionem, praeterito triennio in Gallia factam obtinuit. Negari quidem nequit primam societatis christianae formam ac formulam tam longo in-

teruallo a nostra aetate remotam, vix satis a nobis cognitam haberi, vt certa institui in omnibus comparatio, et verum iudicium ferri posset, nec tamen omnes huius formae lineas ita delevit dies aut erasit temporum iniuria, quin aliquam saltem earum imaginem in nouo Gallicanae ecclesiae statu restitutam possemus agnoscere. Hoc certe non in iis tantum legibus locum habere existimamus, quae circa electiones Episcoporum et Parochorum, sed in aliis etiam, quae circa diuisionem atque administrationem Dioecesium episcopalium, et internam tum cathedralium tum parochialium ecclesiarum gubernationem in Comitiis regni refragrante licet Clero sancitae sunt: quamuis enim coniectura tantum assequi liceat, quaenam prima huius diuisionis et gubernationis ratio fuerit, qualisue originetenus inter sedes episcopales atque ecclesias illis attributas nexus obtinuerit, satis multa nihilominus prostant indicia, quae similitudinem aliquam veteris illius ac nouae, quae in Galliis

obtinet, formae, non arguunt tantum, ſed oſtendunt. Hanc autem ſimilitudinem eo clarius etiam notari ac diſtingui poſſe confidimus, quo longius ac propius ad ipſa adminiſtrationis Dioeceſanae initia regrediemur. De his igitur ſiue de prima Dioeceſium epiſcopalium inſtitutione ac gubernatione commentari aliqua atque inquirere hoc tempore placuit.

Fixa quidem ac certa conſociationis illius, quae nexum ſenſim Dioeceſanum effinxit, initia in annalibus eccleſiaſticis aliquantum latere, nec vltro ſeſe quaerentibus offerre, vel ex eo concludi poteſt, quod a diuerſis variarum partium hiſtoricis tam diuerſe notantur. Non defuerunt, qui ab ipſis iam Apoſtolis formam iſtam conſociationis eccleſiaſticae effictam orbemque chriſtianum in dioeceſes ac prouincias diuiſum contenderent, ſed nihil opus eſt, exploſam dudum ſententiam denuo explodere, cum nullo teſtimonio firmata, quouis alio argumento deſtituta, ſexcentis contra indiciis obruatur et euertatur.

tatur. Si enim, quod proprium huic inſtituto eſt, ſiue characterem eius diſtinctiuum in eo figamus, quod plures per illud eccleſiae ſubordinationis quodam nexu et inaequalis ſocietatis lege inter ſe copulatae ſunt, fieri certe non poteſt, quin ſtatim in oculos cadat, huius generis nexum ac ſocietatem in primo plantatae eccleſiae ſtatu, omnibus temporum, locorum, hominum rationibus repugnantibus et reclamantibus, ne locum quidem habere potuiſſe: adeoque nec dubium eſſe poteſt, origines eius in ſecundo tantum ſeculo, aut forte, quod alii contendunt, in tertio demum poſſe inueſtigari. De hoc autem diſputari omnino poteſt, et diſputant etiamnum inter nos eruditi, vtrum a ſecundo an vero a tertio ſeculo rectius ac verius duci queant?

Nobis quidem proxime ad verum accedere videtur eorum ſententia, qui ſub ſecundi iam ſeculi initia nouae conſociationis fundamenta iacta, ſed caſu magis quam conſilio iacta, ipſam vero conſociationem ne tertio quidem ſeculo in-

ter omnes omnium locorum ecclesias initam, nec in iis etiam locis, vbi aliqua eius forma obtinuit, constanti formulae iisdemque legibus adstrictam fuisse contendunt. Quod in hac sententia postremum asseritur, plerique etiam eorum concedunt, qui, quod primo loco positum est, impugnant; id vero ipsum firmissimo, nisi omnia nos fallunt, innititur argumento, non quidem ex testimoniis, sed ex naturali, quem res humanae in conuersionibus suis sequuntur, ordine petito. Hunc enim, si res etiam ecclesiae secutas credamus, conuincamur adeo necesse est, fieri non potuisse, quin sub secundi iam seculi initia gubernationis Dioecesanae prima stamina efflorescerent. Quibus etiam caussis istud effectum sit, quoue modo euenerit, paucis declarari posse videtur.

Primos Christianorum coetus in vrbibus tantum collectos, saltim in his primo in formam societatis singularis redactos fuisse, certissimis indiciis constat. Nec dubitari potest, quin ab ipsis

Apoſtolis ſapientiſſimum conſilium, cuius rationes vltro ſe offerunt, profectum ſit, cum ipſos in exequendo munere, a diuino religionis noſtrae autore eis maxime commiſſo, in proferendo nempe per orbem Euangelio, ſemper illud ſecutos deprehendamus. Vbique terrarum, quas adeunt, in omnibus prouinciis, quas peruadunt, vrbes illi vnice quaerere, cum loci fama nobiliores, tum ciuium numero celebriores, in iſtis tantum pedem figere, intra harum moenia per integros menſes ac annos commorari, nec niſi iactis nouae eccleſiae fundamentis iterum diſcedere, tum vero minime in loca circumſita divertere, in villis ac vicis haerere, ſed alias provincias petere, aliisque ſeſe vrbibus deſtinare! Hunc certe curſum conſtanter tenuiſſe Paulum nouimus, ſanctiſſimum Gentium Apoſtolum; ſed eundem a reliquis etiam obſeruatum fuiſſe eo certius credi poteſt, quo facilius cognoſci ab omnibus ac praeuideri poterat, ſine vlla eorum vlteriori opera religionem ipſam, in vrbes ſemel

intro-

introductam fixo in his domicilio ad vicina etiam loca viam sibi paraturam atque in rus migraturam, siue lucem, quod ab ipso magistro praedictum meminerant, in sublimiori montis vertice accensam, breui etiam tempore subiectam vallem splendore suo collustraturam.

Ita quidem fieri omnino non potuit, quin in obscurioribus cuiusuis prouinciae locis serius aliquanto quam in clarioribus coetus christiani colligerentur, nec nisi aliquo temporis interuallo post constitutas in illis ecclesias interiecto rurales etiam ecclesiolae conderentur: quod si vero accuratius inuestigemus, quam multis rebus et quibus etiam in istis condendis opus erat, quae vel antecedere vel concurrere debebant, tum quidem etiam illud, quod ostendendum nobis proposuimus, elucescet.

Detur omnino atque concedatur, Episcoporum maxime, quos Apostoli in vrbanis coetibus ab ipsis collectis reliquerant, factum esse opera, vt in vicina quoque loca, in oppidula prouinciae

ignobiliora, in vicos et pagos circumſitos notitia nouae religionis perueniret, atque in agris etiam ſemina chriſtianae doctrinae ſpargerentur. Nihil adeo obſtat, quo minus ab ipſis Apoſtolis hanc illis curam commiſſam ac delegatam credamus; at facilius etiam credi poteſt, ipſos Epiſcopos hanc ſibi curam ſumturos, ac proferendae in ſuis quoque partibus religioni operam impenſuros fuiſſe, ſi neque expreſſe neque tacite commiſſum illud habuiſſent. Vt vero ſumma etiam alacritate et maximis ſtudiis verſatos eos in iſto negotio credamus, ecquis hominum et locorum diuerſa prorſus ratione conſiderata non ſtatim videbit, non niſi lento illud ac impeditiore gradu procedere potuiſſe. Paucitas hominum in iſtis locis degentium ſiue ſparſim in agris viventium, rariores conuentus, infrequentior intercurſus, ingenium minus curioſum, vitae genus a nouis ac nouandis rebus maxime alienum, quot eheu! et quanta ex iſtis tantum cauſis novis ruris Apoſtolis ſuccreſcere debebant obſtacula,

la, a primis vrbanarum ecclesiarum conditoribus, nunquam metuenda! Nobis quidem tanti ista fuisse momenti videntur, vt vix dubitemus asserere, minori ab his opera, ac breuiori temporis spatio coetum christianorum colligi, quam singulos ab illis homines ad fidem christianam amplectendam potuisse permoueri.

Si vero concedamus etiam ac largiamur, in singulis quidem persuadendis neque artis multum adhibendum, nec impedimenta adeo multa fuisse superanda, vix tamen ante decursum dimidii seculi effici hoc potuisse contendimus, vt singuli isti homines ex agris et vicis in castra christianorum traducti in vnum etiam coetum cogerentur. In caussas adeo, quae prohibere istud debebant, neminem inquisiturum putamus, cum vltro illae sese offerant: tum vero etiam illud concedi nobis postulamus, primos illos ex rure Christianos in plerisque seu multis saltem locis per aliquod certe tempus coetibus vrbanis, ex quibus religionis notitia ad ipsos peruenerat,

aggre-

aggregatos atque eorum familiae fuiſſe adſcriptos: at hoc conceſſo ad ipſos aſſociationis atque adminiſtrationis dioeceſanae fontes atque initia deueniſſe nobis videmur.

Efformari quidem illa non prius potuit, quam numerus eorum, qui in agris, vicis, oppidisue tenuioribus Chriſto nomen dederant, ita accreviſſet, vt conſultius illis videri poſſet, ſeceſſu ab eccleſiis vrbanis facto, quibus annexi antea fuerant, in ſingulares ſocietates coire; tum vero vt efformaretur, non ſuadebant ſolum omnia, ſed vrgebant, impellebant, imperabant. Neque enim eorum ſolum, a quibus ſeceſſio facta erat, ſed eorum quoque, qui ſeceſſerant, intererat, vt vincula, quibus conſtricti antea tenebantur, non prorſus ſoluerentur: neque etiam cogitari fere poteſt, vt nouae eccleſiae ſine concurſu antiquiorum condi, aut ſibi prorſus relictae, atque illarum ſubſidiis deſtitutae potuiſſent conſeruari. Ecce vero in hoc ipſo prima ſtamina ſocietatis inaequalis inter eccleſias vrbium, ex quibus in

rus

rus migrauerat religio, atque infantes ecclesiolas initae, quae in rure succreuerant. Harum quidem infantia ope, auxilio, adiumento adultiorum indigebat, ex quibus natae adeo videbantur: mutua itaque sed inaequali necessitate coniunctae quonam fieri pacto poterat, vt in societatem prorsus aequalem coalescerent, aut quo caueri consilio, quibusue prouideri artibus, ne confoederatione inter dispares familias pacta, statim subordinationis aliquo nexu minores maioribus alligarentur?

Hoc vero illud est, quod seculo iam secundo euenisse ex eo maxime colligimus, quia origines complurium ecclesiarum ruralium a secundi iam seculi initiis certissime duci possunt. Concedi quidem atque vltro etiam concedi oportet, nouam hanc consociationem neque nomine adhuc singulari distinctam, neque certis siue iisdem vbique legibus fuisse definitam; nomen enim Dioeceseon serius longe in vsum ecclesiasticum traductum, legesque multo serius scriptas

quis

quis negauerit? Demus adeo, et largiamur vlterius, multas labente feculo familias chriftianorum in oppidis tenuioribus, atque in rure etiam in fingulares coetus confluxiffe, qui, fui prorfus iuris, nullo fubordinationis nexu vicinis maiorum vrbium ecclefiis obftrictae tenebantur: fed facile intelligitur, iftis omnibus conceffis falvam tamen manere et inconcuffam fententiam, quae fecundo iam feculo prima talis fubordinationis exempla vindicat; adeoque ante huius decurfum fundamenta gubernationis Dioecefanae iacta contendit. Neque vero aliis etiam argumentis concuti nobis videtur, quae ab iis interdum eruditis prolata funt, quibus confultius vifum eft, origines huius gubernationis tertio feculo referuare.

Illi quidem in eo nobifcum confentiunt, fecundo iam feculo multas quoque in agris, pagis, oppidisque ignobilioribus, ecclefiolas fuccreuiffe, neque abnunt etiam, multam fine dubio in illis conftituendis operam maiorum ecclefiarum epi-

fcopos

ſcopos praeſtitiſſe, quae in vicinis vrbibus a primo iam ſeculo florebant: ſed ex hoc illud tantum effectum affirmant, vt arctiore cum his confoederationis nexu conſtringerentur. Maiorem neceſſitudinem, frequentius commercium, ſororiam quandam familiaritatem locum omnino inter rurales iſtas eccleſias et vicinas vrbanas habuiſſe, at omnem ſubiectionis ex vna, et dominationis ex altera parte formam abfuiſſe, vtpote a chriſtiana huius aetatis ſimplicitate, aequalitate et humilitate quam maxime alienam. Eandem enim gubernationis atque adminiſtrationis internae rationem per omnes chriſtianorum coetus tam ruſticos quam vrbanos illo aeuo obtinuiſſe, vt a ſuo quisque epiſcopo regeretur; epiſcoporum vero idem vbique nomen, idem munus, eandem praerogatiuam fuiſſe, licet ruſtici ab vrbanis Chorepiſcoporum interdum nomine diſtinguerentur. Ita quidem inter alios Summo inter noſtrates Viro, Illuſtri Böhmero viſum,*) qui

*) v. Juſt. Henning. Böhmeri XII. Diſſertationes Iuris eccleſiaſtici antiqui Diſſert. V.

qui in hac ſententia tuenda et diligentiſſime et acutiſſime omnium verſatus eſt.

Sed alium locum, ſiue aliud tempus quaerendum videmus diſputationi ad finem perducendae, ne principali argumento, cui ex antiquo more iſta praefanda erant, loci nimium temporisue praeripiatur. Obtigit nimirum Ordini noſtro, vt intra anni ſpatium binos ex eruditis, quos Dania alit, Viris producere poſſit, ſummis in Theologia honoribus ornandos. Vix enim Viro maxime Venerando, Clariſſ. Kofod, Verbi Diuini in ipſa Regis aula Miniſtro collati a Nobis iſti fuerant, cum nouus ſe Candidatus offerret Vir plurimum Reuerendus Fridericus Plum, eccleſiae Cruciſoranae Antiſtes Primarius. Hunc quidem vt eodem honore digniſſimum iudicaremus, cum omnia, quae de Viro meritiſſimo ad nos delata erant, tum illud maxime permouere debuit, quod exhibito praeclaro ſpecimine in eodem ſtudiorum ſacrorum genere eandem nobis eruditionem comprobauit, quam re-

centi

centi noſtro iudicio ornandam duxeramus et commendandam. Vt vero de noſtro iudicio melius ac plenius iudicari poſſit, nunc etiam more maiorum iſta proponi atque in publicam lucem proferri oportet, quae de vita ille ſua, de fatis, ſtudiis, geſtis muneribus, editisque ſcriptis vlterius ad nos retulit.

* * *

Origo mihi Friderico Plum fuit ex Siellandia anno 1760 d. 12 Oct. Nomen Plumiorum iam diu viguit per Daniam ſparſum. Claudius Plum, iuris vtriusque Doctor, eiusdemque in Vniuerſitate Havnienſi Profeſſor P. O., quem Rectorem ſuum quater ſalutauit, erat bis maritus, felix multa prole, gentis huius, ſi non autor, certe ſeminator, ex quo variae proſeminatae ſunt familiae. Auus mihi non niſi verecundia, frugalitate et ruſticitate cognitus. Sanctius vitae genus placuit patri Claudio Plum, qui rei ruſticae ſacerdotium praetulit, vir probus et literis eruditus, primarius eccleſiae Cruciſoranae antiſtes, adiutrici pientiſſimae, Eliſabet Amaliae Rohn, iunctus matrimonio. His orto parentibus locus naſcendi fuit Cruciſora, emporium arbitrio mercium praeditum, et digna natalibus contigit inſtitutio. A teneris annis Muſis dicatus, in vmbraculis domeſticis prima linguae Romanae rudimenta ſub I. I. Gordhöy, S. M. C. iam Paſtore rev. et Praepoſito Ringkopienſi depoſui. Inſtitutionis deinde taedium et laborem ipſe pater ſuſcepit. Rudem animum religionis literis, ſinceram mentem honeſtatis praeceptis imbuit, nec curarum modo, ſed remiſſionum etiam tempora voce vultuque temperauit. Si

vnquam

vnquam pietatis ſenſus, tenerrima aetate hauſtos, ſeruauerim adultus, hoc probi ſanctique patris diſciplinae me debere grate praedico. Vt primum ex pueris, iisque diſciplinis, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, exceſſi, deductus ſum Othiniam, celebre Fionenſium oppidum, quo non aliud vel frequentiorem ſcholam, vel meliores praeceptores tunc temporis habuit. In quintum cooptatus ordinem, magiſtrum nactus ſum indefeſſum et beneuolum I. Sibbern, huius claſſis Collegam, muneri Conrectoris et Profeſſoris Gymnaſii poſtmodum admotum. Cuius vigili inſtitutus cura, et nouo aemulandi ſtudio incitatus, eum feci progreſſum, vt, anno vix exacto, locus mihi inter ſupremos ſcholae diſcipulos aſſignaretur. Tum praeceptorem Mag. I. G. Gottſchalck, ſupremae claſſis Subrectorem, iam Paſtorem rev. Noſocomii Othinienſis, adeptus ſum, quem ſummum iudicii acuendi, et ſtylum elegantiorem formandi artificem gratiſſima proſequor memoria. Schola Othinienſis tamdiu mihi literarum ſedes et morum magiſtra fuit, donec annos haberem decem et octo, quo tempore ad maiora nitens, amplius et illuſtrius meo diſcendi ardori ſpatium optaui. Cui voto cum pater annuiſſet, tam aequo hoc conſilium animo moderatores acceperunt, quam ingenium ſtudiumque laudarunt.

runt. Teſtimonium vitae modeſte ac curioſe actae dedit b. Seuerinus Ancherſen, Rector ſcholae et Profeſſor Gymnaſii, quo pauci munus ludi magiſtri moleſtum obierunt diutius, nemo laudabilius. Hoc munitus, et ornatus induſtriae ter mihi decretis praemiis, Vniuerſitatem Havnienſem petii 1778, *editaque in artibus ſpecimine publico, quod laudabile cenſuerunt huius Almae praeſides, ciues inter academicos receptus ſum, priuatum nactus praeceptorem D. Rottböll, Profeſſorem P. O. et regi a conſiliis Conferentiarum. Anno mox ſequente ſcholis philoſophorum Rüsbrigh, Bugge, Kratzenſtein, de Obelitz aſſidue interſui, et in incepto adeo progreſſus ſum literarum ſtadio, vt intra annum ab examine philoſophico publico diſceſſerim laudabilis. Probatae hiſce in tentaminibus diligentiae praemia deeſſe haud paſſa eſt ſedula moderatorum Academiae cura. Eodem ſtatim anno, quo Theologiae operam dare, et ſcholas S. V. D. N. E. Balle, Profeſſoris P. O. et Sacrorum in aula regia Miniſtri, iam vero diaeceſeos Siellandiae Epiſcopi, frequentare caepi, ab eo cognitus, inſtructus, commendatus, alumnus Prytanei regii conſtitutus ſum. Cuius beneficii, praeter multa alia, hic meminiſſe, et gratam ſummo Viro mentem ſignificare iuuat, quod tunc in illo bonarum artium commercio ad ſolidius*

philo-

philologiae tum ſacrae, tum profanae ſtudium, cuius tot et tantis voluptatis fructibus iam delector, animum appuli. Licet orbus iam deſideratiſſimo patre, adeoque paupertate, qua vix efficacior, magiſtra, bonam diei partem aliis, pueris maxime ad ſtudia formandis, impendere coactus fuerim, frequens tamen auditoriis adſui S. V. D. D. Ianſon et Hornemann, quorum illum publice multa ſuper Theologia dogmatica et Nouo Foedere non obliuiſcenda dixiſſe memini, hunc vero et publice et priuatim, in vita literaria pariter ac communi ducem, ſuaſorem, amicum, eruditum, prudentem, fidelem mihi fuiſſe, nunquam non ingenue fatebor, nunquam, dum ſpiritus hos regit artus, tantorum beneficiorum memoriam pia mente recolere deſinam. Iisdem moderatoribus ita maturuere mea ſtudia, vt tentamini Theologorum publico me ſiſtere haud dubitauerim, a quo characterem reportaui laudabilem. Iam ſtipendium Domus Regiae, mihi antea donatum, cum Collegio Elerſiano commutaui, inſigni inſuper ſtipendio Othinienſi, fauore S. V. D. A. Bloch, diaeceſeos Fionenſis Epiſcopi, mactatus. Inter ea, quae hi anni mihi feliciter obtulerunt, intimam Profeſſoris Andreae Chriſtiani Hwiid, Domus Regiae Praepoſiti, amicitiam, at inter ea, quae infeliciter, obitum inprimis numero. Vt curſum

 demum

demum academicum abſoluerem, ſpecimeu homileticum edidi 1789, quod cenſor theologus laude dignum iudicauit. Anno eodem Miniſter Sacrorum ad aedem carceris ciuilis Havnienſis conſtitutus ſum, cuius muneris, vt reditus exigui, ita occupationes modicae. Quantum mihi inter hoc fungendum, et pueros ad humaniora formandos contigit ſubſeciui temporis, Muſis Havnienſibus eo fidelius dedi, quo minus his longo tempore frui ſpes erat. Ita diſſertationem, quae Hiſtoriam interpretationis quarundam ebraicae poeſeos metaphorarum *tractabat, ſine praeſide defendi, ob quam ſummos mihi in Philoſophia honores decreuit ordo Philoſophorum ampliſſimus. Opuſculum conſcripſi:* Juvenal oy Perſius om Menneſkenes Onsker, overſatte og oplyſte med Anmerkninger, *quod Societas elegantioribus literis promouendis inſtituta, commendante I. Baden, Profeſſore Eloqu. P. O. et huic ſocietati a literis, cuius in me propenſam voluntatem et beneuolentiam pia ſemper mente recordor, typis exſcribi iuſſit, et praemio ornauit. Poematum quorundam autor fui, quae commentariis menſtruis,* Minerua *dictis, editor C. Pram, Vir ingenioſiſſimus et mihi amiciſſimus, inſeruit, aliorumque, quae in collectionibus:* Poeſier, 3 Samling *et* 4 Samling *inueniuntur. Nec tamen poeſi et literis*

amoe-

amoenioribus ſolidum philologiae ſtudium poſthabui. Quin nouum adeptus hortatorem, Virum eruditionis et ingenii laudibus florentiſſimum, D. Moldenhawer, ſelectas V. T. particulas publicis lectionibus exponendas meditabar, cum anno praeterito munus, quod pater ante hoc decennium ornauerat, a rege clementiſſimo mihi delatum fuerit. Heic Paſtor eccleſiae Cruciſoranae, Lyceo quidem valedixi, non item commercio cum re publica literata et bibliothecis metropolitanis. Quo factum eſt, vt, cum de libro D. Kofod: Chabakuki Vaticinium, commentario critico atque exegetico illuſtratum, *hoc anno Havniae vulgato, ſententiam in Ephemeridibus Dano-Literariis dicerem, in mentem venerit, iſta mea de poeta, minorum prophetarum facile principe, cogitata nouis curis retractare, Obadiae addere, et diſſertationem inſcriptam:* Obſeruationes in textum et verſiones, maxime graecas, Obadiae et Habacuci *Theologorum Goettingenſium ſubmittere examini. Ob quam cum Viri illi ſumme venerabiles gradum mihi Doctoris Theologici decreuerint, ſimulque iniunxerint curriculum vitae programmati inſerendum conſcribere, morem vt geram, haec dabam Cruciſorae d. 15 Iunii 1792.*

P. P. in Georgia Auguſta d. VI. Jul. MDCCXCII.